2

Harvard

ANDOVER-HA

CAMBRIDG

De

Philosophia morali Socratis

disserebat

Guil. F. Hurndall,

Anglus.

Heidelbergae.

Ex libraria E. Mohrii academica.

MDCCCLIII.

Corrigenda.

Pag. 6.	lin. 6.	pro	premium	leg. prooemium.
„ 7.	„ 15.	„	philosophia	leg. philosophiae.
„ 10.	„ 15.	„	quae	leg. qui.
„ 15.	„ 19.	„	eonsuetudine	leg. consuetudinem.
„ 16.	„ 1.	„	Socratis	leg. Socrates.
„ 19.	„ 14.	„	hic	leg. hunc.
„ 24.	„ 15.	„	proponit	leg. proponeret.
„ 29.	„ 22.	„	perinentes	leg. pertinentes.
„ 30.	„ 1.	„	graviter	leg. gnaviter.
„ 33.	„ 29.	„	δεραπευτέον	leg. θεραπευτέον.

(1)

De

Philosophia morali Socratis

disserebat

William

Guil. F. Hurndall,

Anglus.

Heidelbergae.

Typis Georgii Mohr.

MDCCCLIII.

ANDC

CA

Viro clarissimo

J. Chr. F. Baehr,

Professori P. O. antiquarum literarum in Universitate Heidelbergensi, Bibliothecae Praefecto, etc. etc.

Praeceptori spectatissimo

has studiorum suorum primitias, reverentiae gratique animi documentum,

D. D. D.

Scriptor.

AND

CA

Inter multas quaestiones easque graves, quae ad moralem Socraticae philosophiae doctrinam pertinent, hanc nunc proponimus; — *an Socrati theoria, quam vocant eudaemonisticam, ulla sub forma, adscribenda est?*

Quae quidem quaestio, quum saepe multumque sit agitata, tum nostra in primis aetate admirabili ingenii acumine et summa doctrinae copia retracta est a Dissenio,[1] Schleiermachero,[2] Brandisio,[3] C. F. Hermanno,[4] Kuehnero,[5] Zellero,[6] G. Grotio,[7] aliis. — Totam quaestionem visum est dividere in partes quinque.

I. Fontes commemorabimus, ex quibus Socraticae philosophiae scientia repetenda est.

II. Sententias, si fieri potest, omnes recensebimus et diiudicabimus, quas aut veteres aut huius aetatis scriptores de fide et auctoritate horum fontium protulerunt.

III. Gravissima quaeque exhibebimus argumenta, quae ad eas sententias probandas allata sunt.

IV. Testimonia proferemus, quae fontes illi de quaestione proposita praebent.

V. Postremo, alias quasdam quaestiones attingemus, quae cum proposita arcte conjunctae sunt.

---

1) De philosophia morali in Xenophontis de Socrate commentariis tradita. (Gotting. 1812. — Kleinere Schriften: pg. 87 sqq.).

2) Ueber den Werth des Socrates als Philosophen (Abhandlungen der Berliner Acad. 1814—1815. Sämmtliche Werke zur Philosophie: III. 2. pg. 293 sqq. Philological Museum. II. pg. 538 sqq.).

3) 1. Grundlinien der Lehre des Socrates: (Rhein. Mus. I. pg. 118—150). 2. Ueber die vorgebliche Subjectivität der Socratischen Lehre: Rhein. Mus. II. pg. 85—112). 3. Handbuch der Gesch. der Philos. (II. 1. pg. 1—67).

4) Geschichte und System der Plat. Philos. (cf. libr. Ueber Ritter's Darstellung des Socratischen Systems. 1838).

5) Proleg. ad Xen. Mem.

6) Philosophie der Griechen: II. p. 12 sqq. — Real-Encyclop. ed Pauly. VI. 1. sub voce „Socrates."

7) History of Greece: VIII. cap. 68. p. 545—676.

Caput I.

Fontes indicantur, ex quibus Socraticae p phiae scientia repetenda est.

Socrates ipse, quantum scimus, nihil conscripsit,[8]) paucarum Aesopi fabularum rhythmicam versionem, et linem carminis premium, quod in carcere composuit;[9]) quidem fragmenta Diogenes Laertius et Themistius[10]) rant, sed adulterina esse haberi docent.[11]) Ad discip recurrendum est, qui scriptis suis Socraticam philosophi nendam susceperunt, — quorum duo genera distingue alii enim magistri sui doctrinam ad historiae fidem des animo habuerunt, alii pro sua quisque ingenii copia e eandem excoluerunt, atque ita disciplinarum inter se auctores exstiterunt; inter illos Xenophon principem locu inter hos Plato. Atque praeter Platonem, Eucleides, An Phaedon, alii,[12]) dialogos conscripsisse videntur, in

---

8) Socratem nihil unquam literis mandasse, multi veteru Cic. de Orat. III. 16. „cuius ingenium variosque sermones i scriptis suis tradidit, *quum ipse literam Socrates nullam reliquisse* tarch. de fortuna Alexandri. p. 328. Diog. Laert. I. 16.

9) Plat. Phaed. p. 61.

10) Diog. Laert. II. 42. Themist. Orat. XIV. p. 321.

11) cf. Bruckeri Hist. Crit. Phil. I. pp. 554. 555. „Quod cumstantias omnes rite ponderamus, suspecta sunt omnia, quae cis scriptis afferuntur. Et Paeana quidem in Apollinem olim abiudicasse Dionysidorum, testatur Laertius, nec Platonis in hist fides tanta est, ut ea sola Socrati vindicari queat, qui haec commentu tur, ut impietatis opprobrium magistro obiectum eo melius diluer idem de Aesopiis fabulis iudicium esto. — — — Quod vero (Socratis) attinet, vel ex solo veterum silentio si unicum Liban Socr. I. p. 682) excipias, convelli potest. etc. cf. Pearson. V P. I. p. 12, et quos laudat Menagius ad Diog. Laert. II. 42 Bibl. Graec. vol. I. p. 425—60" cf. Brandis. Gesch. der Philo adnot. eee. —

12) cf. Cicero. Acad. Quaest. I. 4. 16. Athenaeus V. C. Aeschin. Dialog. Fragm. ed. Fischer. (ed. III. Lips. 1786), F et XVII. Diog. Laert. II. 60. Gellius. N. Att. II. 17. Vid. Bra Mus. I. p. 120 sqq. et Dictionary of Greek and Roman Biog Mythology, ed. W. Smith (London 1844) vol. III. p. 850.

Socrates ipse primas secundasve partes sustinuit, aut Socratica doctrina explicata et illustrata fuit, aut res tractatae fuerunt, de quibus philosophus ille disserere solebat. Hoc modo duplex Socratis ac philosophiae eius memoria exstitit. Sed quoniam aliorum illius discipulorum scripta nobis invidit temporis iniuria, de Platone et Xenophonte solis disputandum erit;[13]) additis quoque Aristotelis testimoniis. Ciceronis, Plutarchi, Sexti Empirici, Diogenis Laertii, Apuleii scripta ad quaestionem solvendam, quam supra proposuimus, nihil fere conferent.

Caput II.

Sententiae recensentur, quae de fide et auctoritate fontium prolatae sunt.

Controversia est dudum[14]) et varie jactata, num e Xenophontis commentariis, an e Platonis potius dialogis integra Socraticae philosophia doctrina ducenda sit.

1) E Graecis scriptoribus recentiores quidam Socratis inter et Platonis doctrinam nihil differre statuerunt. (cf. Plutarch. Placit. Philos. I. 3. 31. I. 7. 12. I. 10. 2. Aristoteles ap. Euseb. Praepar. Evang. XI. 3. Origen. Philosoph. XVIII.).

2) Coniunxerunt alii Xenophontis testimonia et Platonis. (cf. Diog. Laert. II. 45.)

3) De Ciceronis sententia Platonica scripta maxime legenda sunt: — Acad. I. IV. „ut e Platonicorum libris, maximeque Platonis intelligi potest.“ (cf. de orat. III. 16. Brut. 85. de Repub. I. 10. cf. Sext. Empir. adv. Mathem. VII. 8 sqq.). —

4) Timon ὁ σιλλογράφος Socraticae doctrinae imaginem, quam Platonis scripta exhibent, prorsus reiecit; — Sext. Empir. adv. Mathem. VII. 10. ἔνθεν καὶ ὁ Τίμων αἰτιᾶται τὸν Πλάτωνα ἐπὶ τῷ οὕτω καλλωπίζειν τὸν Σωκράτην πόλλοις μαθήμασιν· ἦ γάρ φησι τὸν οὐκ ἐθέλοντα μεῖναι ἠθόλογον. cf. Diog. Laert. III. 26. ἀλλὰ καί Τίμων οὑτωσὶ παραγραμματίζων αὐτόν.

Ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.

---

13) Quod ad simultatem pertinet, quae Platonem inter et Xenophontem exstitisse narratur, cf. Böckh: „de simultate, quam Plato cum Xenophonte exercuisse fertur.“ —

14) cf. Sext. Empir. adv. Math. VII. 8.

5) Bruckerus (p. 556) eos reprehendit, qui Socrati Platonica decreta permiscuerunt: — „incaute egerunt (Stan Hist. Phil. III. 5. p. 115. C. W. Pauli, de philosophia moral cratis), qui in describenda philosophia Socratis, Platonis auc tatem ante alios secuti sunt, dogmata ita nobis Socratica struentes, de quibus Socrates nunquam cogitavit. Nos ad X phontem potissimum recurremus etc." Tennemannus aute copiose disputavit, Xenophontis commentarios fontem Socra disciplinae integerrimum esse. Wiggers denique [16]) eorum tentiam refellit, qui Xenophontem, quod ad speculativas, vocant, disquisitiones, natura non factus esset, Socratis phil phiam penitus intelligere integreque tradere haud potuisse tenderunt.

6) Dissenius, Schleiermacherus, Brandisius, Ritterus, i conspirant, ut genuinam Socraticae philosophiae doctrina Xenophontis commentariis esse consignatam pernegent. Diss quidem affirmat, Xenophontis scripta nihil aliud praebere, eam Socraticae disciplinae partem, quam ἐξωτερικήν appellan Schleiermacherus [18]) ad totam ac veram Socratis doctrinam noscendam hanc quaestionem solvendam esse dicit: „Was k Socrates noch gewesen sein, neben dem was Xenophon ge det, ohne jedoch den Charakterzügen und Lebensmaximen widersprechen, welche Xenophon bestimmt als Socratisch au stellt; und was muss er gewesen sein, um dem Platon Ve lassung und Recht gegeben zu haben, ihn so wie er thut seinen Gesprächen anzuführen." Schleiermacheri rationem amplexus est Brandisius, [19]) ut Aristotelem controversiae dis tandae arbitrum adhiberet.

---

15) Lehren und Meinungen der Socratiker über Unsterblichkeit. 1791. p. 173 sqq.).

16) „Socrates": p. 5 sqq. — cf. Hermann: Geschichte und Systen Platonischen Philosophie. p. 331. adnot. 333.

17) De philosophia morali in Xenophontis de Socrate commentariis dita; p. 28. „descripsit (Xenophon) Socratem ab una tantum parte, primum se offerente iis, quos maxime ad vitae negotia natura formavit cf. Zeller: Philosophie der Griechen. II. p. 14.

18) Abh. p. 50 sqq.

19) Rhein. Mus. I. p. 126.

De Xenophonte non minus inique, quam Schleiermacherus et Brandisius iudicat Ritterus;[20]) qui postquam Xenophontem ingenio ad Socratis philosophiam penitus cognoscendam idoneo praeditum esse negat, — apud Platonem autem nulla reperiri vestigia docet, e quibus veram ac germanam Socratis doctrinam in illius dialogis exhiberi certo concludi possit, — Aristotelis denique testimonia, quamvis hic, (ut in tota Graecae philosophiae historia), maximi sint momenti, omnia tamen Socraticae disciplinae lineamenta minime praestare posse contendit, — libero cuiusque arbitrio permittit, ut decernat quantum fidei et auctoritatis cuique horum fontium tribuendum sit.

7) Contra non defuerunt, qui Xenophontis in describendis magistri placitis auctoritatem defendere studerent; — in primis Delbrueckuis,[21]) Hegelius,[22]) Roetscherus,[23]) C. F. Hermannus,[24]) Kuehnerus,[25]) Zellerus,[26]) Schweglerus.[27]) Zelleri sententia haec est:[28]) — „Die nächste Quelle wird Xenophon sein müssen, Plato und Aristoteles werden theils zur Bestätigung seiner Berichte, theils namentlich dazu dienen, den philosophischen Sinn von Sätzen aufzuschliessen, welche Xenophon zwar treu berichtet, aber zu äusserlich aufgefasst hat.“[29])

---

20) Geschichte der Philosophie. II. p. 43 sqq.

21) „Xenophon“ (Bonn 1828).

22) Geschichte der Philosophie. II. p. 69.

23) Aristophanes und sein Zeitalter. p. 393 sqq.

24) Geschichte und System der Platonischen Philosophie. p. 249 sqq.

25) Prolegom. ad Xen. Mem. p. 11 sqq.

26) Philosophie der Griechen. II. p. 15 sqq. et Real-Encyclopädie (ed. Pauly) VI. 1. p. 1243.

27) Geschichte der Philosophie. p. 67.

28) Real-Encyclopädie. VI. 1. p. 1243.

29) cf. Philosophie der Geschichte. II. p. 67. „Was wir den Tadlern Xenophons zugestehen können, ist nur dieses, dass dieser Mann allerdings die philosophische Bedeutung seines Lehrers weit nicht verstanden hat, und darum auch in seiner Darstellung zurücktreten lässt, und dass insofern Plato und Aristoteles als Ergänzung seiner Berichte willkommen sein müssen; nicht zugeben können wir aber, dass er uns über wesentliche Punkte positiv Falsches berichtet habe, und dass es nicht möglich sein sollte, auch aus seiner Darstellung die wahre Gestalt und Bedeutung der Socratischen Lehre herauszufinden.“

Caput III.

Gravissima quaeque argumenta exhibentu ad sententias de fontibus iam commemora bandas allata sunt.

I. Xenophon.

1. De eius moribus.

Dissenius,[30] Schleiermacherus,[31] Brandisius,[32] Ku alii, in Xenophonte animi candorem, morum sanctitaten studium expressis verbis praedicaverunt; atque ea, qu rius[34] obiecit, satis superque, meo quidem iudicio, ref brueckius;[35] neque asserere dubito nihil, quod diliger sulto neglectam declaret, in Xenophontis de Socrate co detegi posse.

2. De eius ingenio.

Quae de eius ingenio ab iis prolata sunt, quae rios eius veram Socratis doctrinam continere negarunt, mas induerunt.

1) Contenderunt Schleiermacherus et alii[36] Xe quum indole ad rem publicam administrandam et ad ducendum idonea instructum atque rerum civilium et peritissimum, tum ingenii copia atque acumine destitu ad subtiliores philosophiae disquisitiones factum fuisse igitur Socraticam philosophiam multa continere, quae intelligere et cogitatione comprehendere haud potuerit. iudicium de huius historici indole, ut firmis certisque demonstretur, omnium eius operum examine niti de

30) De philosophia morali in Xenophontis de Socrate tradita. p. 28.

31) Abh. p. 56.

32) Gesch. der Philos. II. p. 20.

33) Proleg. ad Xen. Mem. p. 15.

34) Kleine Historische und Philologische Schriften. (Erste S

35) „Xenophon."

36) Schleierm. Abh. p. 56. Zeller. Real-Encyclopädie VI. 1. p. 1243. Browne. History of Greek Classical Literature.

quominus nunc suscipiamus et imbecillitatis conscientia et instituti nostri fines prohibent; in sententiis aliorum [37]) afferendis acquiescendum est, qui Xenophonti praeclaras animi ingeniique virtutes, atque singularem eximiamque facultatem percipiendi assequendi aestimandi disquisitiones, quae ad vitae morumque institutionem pertinent, tribuerunt.

2) Brandisius et alii [38]) intra Schleiermacheri iudicii fines non substiterunt, sed Xenophonti ingenium ac sollertiam ad *Socratis* doctrinam penitus percipiendam integreque tradendam defuisse contenderunt; atque eum difficiliores Socraticae disciplinae rationes ac ratiocinationes nequaquam intellexisse vel enucleasse. [39]) Iam vero, si Socraticam doctrinam ex aliis auctoribus iisque fide dignis compertam habeamus, iudicare poterimus, utrum Xenophon magistri sui philosophiam intellexerit, necne; sed tum sane huius testimoniis facile carere poterimus; sin autem, quod Brandisius innuit, [40]) ex ipsis Xenophontis verbis demonstrari possit, eum principia philosophiae quaedam et rationes vere Socraticas minus intellexisse, neque accurate satis nec scienter exposuisse, tum etiam, ne Socrati iniuriam faciamus, dicendum foret, notiones illas ac placita a Socrate enucleatius tractata et accuratius exposita esse, quam Xenophon illa enarravit. Sed si quis, neque hoc neque illo demonstrato, Xenophontem magistri sui doctrinae rationem non satis perspexisse affirmat, atque inde omnem fidem illius testimoniis abrogandam esse statuit, id nullum verum esse argumentum, sed quod ὕστερον πρότερον vocant, quid hoc est evidentius? Nam quo pacto decernere poterimus, quousque Xenophon in Socraticae

---

37) Kuehner. Proleg. ad Xen. Mem. p. 15. Browne. l. l.

38) Brandis. Rhein. Mus. I. p. 123. Gesch. der Philos. II. p. 20. 21. (adnot.) sic quoque iudicavit Ritterus; Gesch. der Philos. II. p. 44. cf. etiam Browne. History of Classical Literature. II. p. 102.

39) Brandis. Rhein Mus. l. l. „In der That hatte Xenophon auch weder die Absicht noch das Geschick, Socratische Lehren und Lehrweise mit einiger Vollständigkeit und mit wissenschaftlicher Genauigkeit darzustellen." — Gesch. der Phil. l. l. „Xenophon, mit unverkennbarer Wahrheitsliebe, aber eben so unverkennbarem Mangel an tieferer Einsicht in Mittelpunkt, Endzweck und Gliederung der Socratischen Weisheit etc."

40) Gesch. der Philos. I. l. (adnot.): „ich vermisse . . . bei Xenophon eindringliches Verständniss der von ihm selber angedeuteten Grundgedanken der Socratischen Lehre und Entwickelung derselben für Wohlbegabte."

philosophiae recessus penetraverit, nisi hanc philosophiam co
habeamus; nisi igitur jam antea statuerimus, unde eadem derivar

Quae cum ita sint, equidem ut Socratem nullam specul
quam vocant, philosophiam habuisse (ut Schweglerus[41])
contendere haud velim, ita spero fore, ut ex investigatione,
de Xenophontis commentariis instituere in animo est, luce
appareat, illis omnia ea placita exhiberi, quae Socratem
suisse Aristoteles auctor est, neque minus aperte vel s
quam in huius scriptis. Porro, quum asserere non dubito
nophontem satis a natura ad philosophiam instructum fuis
difficiliores Socraticae disciplinae partes intelligere posset
quoque haudquaquam praetermittendum est; — ex eo ipso
Xenophon non tali ingenio praeditus fuit, ut magistri doc
amplificaret atque inventis suis ditaret, gravissimum fidei
mentum ducendum est; nam perspicuum est, eum suam
ticae doctrinae expositionem nullis alienis placitis contamina

3. De Xenophontis Commentariorum consilio.

Id prohibere videtur, quominus in Xenophontis de S
commentariis acquiescamus, quod in conscribendis his libr
secutus est consilium, ut Socratem ab accusatorum criminat
defenderet, eundemque civem optimum fuisse et integer
demonstraret. Sed fines ille apologeticus certum quendam
ponendae doctrinae modum et rationem praescripsit, atque
ut Xenophon magistrum suum ab una tantum parte descr
in iis rebus se continens, quae ab accusatoribus oppositae
atque alias eatenus tantum attigens, quatenus ad calumnias
vendas id valeret.[43]) At contra Xenophon, etiamsi in recer

41) Gesch. der Philos. p. 29.

42) Brucker. Hist. Crit. Phil. I. p. 523. Kuehner. Proleg. ad Xer
p. 15. cf. Roetscher. Aristophanes und sein Zeitalter, p. 394: „d
Xenophontischen Zeugnisse als das unbefangenste Zeugniss der ur
lichen Socratischen Lehre gelten können, wie dieselbe in ihrer ersten
noch nicht weiter gebildet und zum System entfaltet, aufgetreten is
für eine solche reine Auffassung bürgt uns gerade der Sinn des Xe
welcher das ihm Uebergebene wohl anmuthig darzustellen verstan
es mit dem eigenen Gedanken nicht zu weiteren Bestimmungen fortf

43) Schleierm. Abh. p. 56 sq. Brandis. Rhein. Mus. I. p. 123.
dissert. de philosophia Socratis p. 17. — cf. Dissen.: de philosophia
in Xenophontis de Socrate commentariis tradita; p. 28. „Dedit (Xer

simpliciter et diluendis criminibus Socrati objectis acquiesset, nihilominus hunc de gravissimis doctrinae moralis quaestionibus disputantem induceret necesse fuisset. Ceterum rectissime monuerunt quidam,[44]) Xenophontem, quoad Socratis philosophiam exponendam suscepit, non philosophum agere, sed simplicis narratoris personam sustinere, atque in omnibus dictis historici fidem quam religiosissime servare voluisse. Interdum quidem illum, pietate in magistrum ac studio impulsum, inconsulto veritatem egressum esse,[45]) concedere non dubitamus; sed id maxime ad talia cohibenda valebat, „quod ille (ut Kuehneri verbis utar) commentarios suos eo consilio conscripsit, ut magistri sui tam vitam quam doctrinam contra adversariorum criminationes defenderet. A quo quidem consilio quid magis abhorrere potuit, quam si sermones ex vano hausisset, quos Socrates nunquam usurpasset, et res atque sententias protulisset, quae cum illius doctrina, a tot hominibus percepta, pugnarent? praesertim cum ipse Xenophon identidem dissertissimis verbis pronuntiaverit se narrare ea, quae vel suis ipse auribus, vel ex aliorum ore accepisset.“ [46])

4. Ne Xenophontem accuratam nobis in libro suo magistri imaginem proposuisse putemus, sic quoque disputaverunt quidam:[47]) — quum Xenophon commentarios suos litteris mandare coeperit, plures annos intercessisse, ex quo tempore Socratis consuetudine usus sit; interim eum multis iisque gloriosis rebus in Asia implicitum fuisse, quibus Socratis doctrina aliquantum ex memoria exciderit, indeque testimoniorum fidem aliquantum imminui. Equidem confiteri non dubito hoc argumentum aliquid ponderis habere; atque haudquaquam affirmaverim Xenophontem ipsa Socratis verba, uti ex eius ore fluxerunt, calamo excepta nobis tradidisse. Attamen, — ut a priori ratiocinemur, — veri-

---

nobis hanc doctrinam utilitate omnia metientem, quum Socratem ostendere vellet a subtilioribus disputationibus alienum et ad vitam recte instituendam omnes cohortantem; cuius tamen doctrinae rationem ipse non satis videtur perspexisse.“ — Ritter. Gesch. der Philos. II. p. 44.

44) Brandis. Gesch. der Philos. II. p. 20. Grote. History of Greece. VIII. p. 549.

45) Grote. l. l.

46) Kühner. Proleg. ad Xen. Mem. p. 17.

47) Brandis. Rhein. Mus. I. p. 123. Gesch. der Philos. II. p. 20. Grote. History of Greece. VIII. p. 549.

simillimum est illum, diligentissimum Socratis auditorem summ
in hunc pietate ac sincerissimo amore impletum, illo ipso tem
si non omnia, at nonnulla certe de praeceptoris dictis et se
nibus litteris mandasse, ut postea huius imaginem in me
custodiret ac reminiscendo recognosceret. Recte igitur d
ruisse videtur Kuehnerus;[48]) „Nec dissimile veri videtur e
quae a Socrate acceperit, summa veluti capita litteris eum
tasse. Sic explicanda videntur verba Diogenis Laertii in
Xen. III. 48. Πρῶτος (Ξενοφῶν) ὑποσημειωσάμενο
λεγόμενα (ὑπὸ Σωκράτους) εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν, ἀπομνημονεύ
ἐπιγράφας."

5. Contra Xenophontis testimonium hoc quoque prol
est; eo multa contineri, quae inter se repugnent. Iam
etsi haec sane proficisci potuerunt a memoriae lapsu vel in
imbecillitate in Xenophonte, quaeri tamen potest, num cre
sit, omnia quae Socrates proposuit decreta, sine ulla except
inter se concinisse? Nonne perraro, vel potius nunquam e
philosophiae disciplina, quae omni ex parte secum conse
Etenim quid aliud de Platonis, Cartesii, Lockii, Kantii, doc
probare student ii, qui ab his philosophis dissentiunt, nisi dec
si non multa, at aliqua tamen, in eorum scriptis reperiri,
non solum cum veritate, sed etiam cum summis illarum dis
narum principiis haud conspirent? Iine igitur rectae rationi
venienter disserunt, qui Socrati doctrinam quandam tribue
esse fidenter negant, quod eadem a summo illius philosophi
cito abhorreat? Ad haec, Socrates ab omnibus antiquitatis s
toribus consentienti voce doctrinae moralis auctor et parens
minatur.[49]) At quaenam disciplina reperiri potest, quae p
statim ortu omnibus numeris absoluta atque perfecta exstit
Haud igitur veri simile est, Socratem, qui primus philosoph
de vita ac moribus disputavit, tale systema, quod dicunt, e
gitasse, ut nihil, quod unquam per longam vitam in hom

48) Proleg. ad Xen. Mem. p. 17. cf. Brucker. Hist. Crit. Pl
p. 523. adnot. b.

49) cf. Diog. Laert. I. 14. Σωκράτης ὁ τὴν ἠθικὴν εἰσαγών. II
καὶ πρῶτος περὶ βίου διελέχθη. Cic. Tusc. Disp. III. 4. A quo haec o
quae est de vita et moribus, philosophia manavit. V. 4. 10. (ib. Kü
primus philosophiam devocavit a caelo. cf. Arist. Magn. Mor. I. 1.

cuiusque generis consuetudine consumptam dixerit, a summa huius systematis doctrina discreparet; praesertim quum, ut accurate dicamus, Socrates inventa sua ad certam quendam artem et disciplinam nunquam revocare studuerit, sed quavis oblata occasione de diversissimis rebus disseruerit. Quae cum ita sint, haudquaquam id probare conabimur, quod Zellerus affirmavit: [50]) „die Xenophontischen Angaben geben ein Bild von Socrates, welches mit sich selbst übereinstimmt:“ quod autem cum ea Socraticae doctrinae expositione non satis congruit, quam in libro, „Geschichte der Philosophie,“ [51]) Zellerus dedit, ubi in ea ipsa doctrina discrepantiam admittit et explicare studet. [52])

6. Xenophontis testimonio hoc quoque objecit Schleiermacherus; [53]) Socratem si in iis doctrinis, quas Xenophon tradidit, atque in ea docendi ratione, quam huius commentarii exhibent, se continuisset, nunquam audientium animos tam vehementer permovere, neque tantam apud aequales suos et populares auctoritatem sibi comparare potuisse, ut Critias et Alcibiades, Plato et Euclides, qui magna ingenii copia et acumine essent praediti, eius consuetudine avide appeterent maximique aestimarent. Praeterea Dissenius [54]) Socratis apud Xenophontem doctrinam indignam iudicavit Socrate, cui Plato omnia sua inventa et placita tribuisset. Sed ne hoc argumento nimis commoti, Xenophontis fidem in dubium vocemus, haec quoque nobis consideranda erunt.

1) Alcibiadis sermo, qui in Platonis Symposio invenitur, Socratis apud omnes existimationem declarat, neque quidquam omnino continet respicitve, quod a Xenophontis commentariis abhorreat. [55])

---

50) Real-Encyclopädie (ed. Pauly.) VI. 1. p. 1243.

51) cf. in primis p. 64.

52) cf. Hermann. Gesch. und System der Plat. Philos. p. 250. „ . . . ich kann . . . . keine Berufung auf jüngere Schriftsteller oder höhere Begriffe gegen jene Schilderung gelten lassen, die gerade in den Schwächen, die man ihrem Helden nachweisen kann, ein Zeugniss ihrer unbefangenen Treue an sich trägt.“

53) Abh. p. 57. cf. Brandis. Rhein. Mus. I. p. 123.

54) De philosophia morali in Xenophontis de Socrate commentariis tradita. p. 28.

55) cf. Plat. Sympos. 215. E. sqq. 221. D. sqq.

56) cf. Zeller. Philos. der Griechen. II. p. 67 sq.

2) Socratis omnium Graecorum philosophorum primus humani animi recessus perscrutatus est, mentis vim atque rationem, accuratius examinavit, omnis nostrae cognitionis naturam subtilius pervestigavit, atque hoc modo effecit, ut philosophiae firmiora ac solidiora substernerentur fundamenta. [57]) Quapropter in Socratis doctrina eam philosophandi rationem agnoverunt eius discipuli, cui inventa sua superstruenda essent, [58]) atque idcirco Socratem ipsum omnis sapientiae et verae philosophiae restitutorem praedicaverunt.

3) In exponendis et illustrandis placitis suis adhibebat Socrates multiplicem et prorsus admirabilem disputandi rationem, mirificam audientium animos novitate tenendi, atque variis hominum ingeniis orationem suam et docendi rationem accomodandi peritiam.

4) Negari autem non potest Sophistas omnium in se convertisse oculos, et multum auctoritate apud populares suos valuisse. Verumtamen doctrina eorum, qui omnia ad inanem quandam referrent sapientiae speciem, multo maiorem levitatem ac vanitatem exhibuit, quam vehementissimi Xenophontis detrectatores Xenophontei Socratis philosophiae applicare ausi sunt. [59])

5) Huc denique accedit, quod Socrates vitae integritate et morum sanctitate illustrissimum probitatis, temperantiae, iustitiae, omnis virtutis exemplar praebuit. [60])

„Quae quidem omnia si cogitatione complecti volumus, mirari desinemus, quod Socrates talis, qualis a Xenophonte descriptus est, tantam apud omnes existimationem nominisque claritatem sibi parere, et vel in divino Platonis ingenio tantam excitare potuerit admirationem, ut is omnia sua tribueret magistro suo, e cuius ore prima omnis verae cognitionis praecepta didicisset.“ [61])

---

57) cf. Kuehner. Proleg. ad Xen. Mem. p. 13. et scriptores historiae philosophiae.

58) cf. Zeller. Philosophie der Griechen. II. p. 69 sq.

59) cf. Zeller. l. l.

60) cf. Hermann. Geschichte und System der Platonischen Philosophie. p. 257. Kuehner. Proleg. ad Xen Mem. p. 13 sq. Stallbaum: „disput. de Platonis vita, ingenio, et scriptis.“ p. 13. (Proleg. ad Plat. opp.).

61) Kuehner. l. l.

Haec sunt fere omnia ea argumenta, quae aut a Xenophontis propugnatoribus ad fidem et auctoritatem testimoniis eius vindicandam, aut ab eius detrectatoribus eo consilio allata sunt, ut fidem commentariis eius abrogandam esse evincerent. Quae quidem omnia si diligenter inter se comparaveris, et accuratius perpenderis, rectius iudicare poteris, quantum ponderis iis Xenophontis de Socrate locis tribuendum sit, qui ad quaestionem supra propositam pertinent; neque dubitabis mihi assentire affirmanti, si quae doctrina apud Xenophontem tam accurate et scienter tamque saepe exposita reperiatur, ut summa inde appareat eorum, quae Xenophon Socratem omnino disputantem facit, eam doctrinam huic sine dubio addicendam esse; namque illa ab homine probo ac veri studioso tradita est, qui cuncta, ut sunt acta, exponere studuit; neque ab eo inventa est, et propter pietatem Socrati attributa; neque postremo illum memoria lapsum esse dici poterit.

P l a t o.

Nemo certe infitiari potest, quin Plato, admirabili mentis acumine et ingenii ubertate praeditus, haudquaquam in iis acquieverit, quae a Socrate acceperat, sed sapientiae semina ab eo sparsa excoluerit et auxerit, philosophiae initia ab eo accepta amplificaverit, ad doctrinae rationem, vel σύστημα, redegerit, atque orationis copia ac majestate ornaverit. [62]) Hinc recte iam Carus dixit: „Der Simplicität Xenophon's kann man sicherer folgen, als dem fruchtbaren Geist Plato's.“ [63])

Accedit, quod nusquam fere Plato sibi historici nomen vindicat, Apologia et singulis quibusdam locis exceptis, ut Alcibiadis sermone in Symposio, [64]) ubi nihil reperitur, quod a Xenophontis testimoniis vere dissentit; atque nemini quidem in mentem venit,

62) cf. Schleierm. Abh. p. 56. Brandis. Rhein. Mus. I. pp. 124. 125.

63) Ideen zur Gesch. der Philos. p. 517. cf. Rötscher. Aristophanes und sein Zeitalter. p. 396. „Gerade das freithätige philosophische Produciren und das speculative Denken, dessen Mangel den Xenphon so geschickt machte, die einfache Lehre des Sokrates in ihrer reinsten Gestalt, ohne Erweiterung und Fortschritt darzustellen, zeigt uns den Plato als die unlautere Quelle für das ursprüngliche Princip des Socrates.“ cf. etiam Kuebner. Proleg. Xen. Mem. p. 15.

64) Schleierm. Abh. p. 55. Schwegler. Gesch. der Phil. p. 29.

ut Platonem cetera omnia, quae Socrati attribuit, pro veris magistri sui dictis haberi voluisse contenderet.[65]) In ceteris dialogis, hoc est, in parte operum eius longe maiore, Plato ipse Socratis ore loquitur;[66]) unde clarum atque perspicuum est, omnia decreta in illius dialogis consignata a Socrate non esse profecta.[67]) Difficilem igitur, ut iam Kuehnerus perspexit, atque admodum lubricam viam ii videntur esse ingressi, qui qualis doctrina magistri fuerit e scriptis discipuli concludi posse arbitrentur. Nam nihil apud Platonem ipsum reperitur, quod, ut veram Socratis doctrinam secernamus, ad illius dialogos tanquam obrussa adhiberi possit.[68]) Et si quis pro temporum, quibus consignati sunt, vel argumentorum ac disserendi rationis diversitate, germanam Socraticam doctrinam seiungere conaretur, inceptum eius minime succederet, quia difficillimum est ad definiendum, quo tempore et ordine singuli illi sermones in publicum prodierint,[69]) atque clare perspicimus multas doctrinas a Platone procedente tempore magis magisque excultas atque perfectas esse.[70]) Brandisius quoque ipse nullam certam apud Platonem ipsum monstravit normam, qua quid hic de Socratis sententia disputaverit accuratius dignoscatur; neque videri dialogos quosdam Socraticos esse statuere licebit, nisi Socratis doctrinam iam ex aliis fontibus cognitam habeamus.[71])

Iam vero si haec omnia de Platonis dialogis argumenta

---

65) Zeller. Philos. der Griechen. II. p. 15.

66) Grote. History of Greece. VIII. p. 549.

67) cf. Diog. Laert. Vit Plat. XXIV. 35. φασὶ δὲ καὶ Σωκράτην ἀκούσαντα τὸν Λύσιν ἀναγινώσκοντος Πλάτωνος· „Ἡράκλεις," εἰπεῖν, „ὡς πολλά μου καταψεύδεθ' ὁ νεανίσκος." οὐκ ὀλίγα γὰρ ὧν οὐκ εἴρηκε Σωκράτης γέγραφεν ἀνήρ. et Vit. Socr. XXIV. 45: ἀλλὰ καὶ Πλάτων ἐν τῇ Ἀπολογίᾳ μνησθεὶς Ἀναξαγόρου καὶ ἄλλων φυσικῶν, ἃ Σωκράτης ἀρνεῖται, περὶ τούτων αὐτὸς λέγει, καίπερ ἀνατιθεὶς πάντα Σωκράτει. cf. Brucker. Hist. Crit. Philos. I. 523.

68) Brandis. Rhein. Mus. I. p. 125. Gesch. der Phil. II. p. 21. Kuehner. Proleg. p. 16.

69) De singulorum dialogorum aetate certant viri docti, et sub iudice lis est semperque forsitan erit.

70) Stallbaum. „Disputat. de Platonis vita, ingenio et scriptis," (Plat. Opp. Vol. I.).

71) Roetscher, Aristophanes etc. p. 397. Zeller. in l. Real-Encyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft. VI. 1. p. 1243. Grote. History of Greece. VIII. p. 549.

ponderamus, necesse est confiteamur, eosdem tum solum in partes esse vocandos, quum cum Xenophontis commentariis conspirent, atque ita huius testimoniis lumen ac fidem afferant.[72])

Aristoteles.

Brandisius primus[73]) tanquam normam, qua Socraticae et Platonicae sententiae discernerentur, adhibuit Aristotelem. Sed loci, qui ex Aristotele ad Socraticam doctrinam illustrandam afferri possint, in tria genera distribuendi sunt.[74])

a) Quibusdam in locis, aut inter Socratis placita et Platonis disertis verbis discrimen constituit (Metaph. I. 6. XIII. 4. Magn. Moral. I. 1.), aut Socratem nominat novae investigandi rationis auctorem ac parentem (de partib. anim. I. 1.).

b) Interdum aut Socratem et Platonem coniungit (Polit. V. 10, 1. 6.), atque illum in eadem fuisse sententia, qua hic, indicare videtur, aut Socrati adscribit sententiam, quam alio loco Platoni tribuit (Pol. II. 9. 8. II. 3. 1.). —

c) Multis praesertim politicorum librorum locis Socratem introducit disputationum Platonicarum principem pro Platone ipso.[75])

2. Leguntur autem apud Aristotelem formulae Σωκράτης ὁ πρεσβύτης (Eud. Eth. I. 5. 1216. b. 2. Magn. Moral. II. 6. 1200. b. 25. cf. Eud, Eth. VII. 1. p. 1235. a. 37. Σ. ὁ γέρων.) et Σ. ὁ νεώτερος; Metaph. VII, 11, 1036. b. καὶ ἡ παραβολὴ ἡ ἐπὶ τοῦ ζώου ἣν εἰώθει λέγειν Σ. ὁ νεώτερος, οὐ καλῶς ἔχει. cf. Alex. p. 482, 15. ἢ τὸν Πλάτωνα λέγει, ἤ, ὃ καὶ μᾶλλον, τὸν ὁμώνυμον τῷ τοῦ Πλάτωνος διδασκάλῳ Σωκράτην. ποιεῖται γάρ τινα Σωκράτην ὁ Πλάτων προσδιαλεγόμενον μετὰ τοῦ γηραιοῦ Σωκράτους. 1) Prima interpretatio, a Thom. Aquin. in commentario suo probata, a Brandisio, Schweglero, Bonitzio etc. uno consensu reiecta est. 2) Secunda Schweglero,[76]) Bonitzio,[77]) C. F. Hermanno[78]) placuit,

72) cf. Brucker. I. p. 556.

73) Brandis. Rhein. Mus. 1. p. 126. 128. 129. cf. Ritter: Gesch. der Philos. II. p. 45.

74) cf. Brandis. l. l.

75) cf. Rhetoric. I. 9. 30. III. 14. 11. De Generat. et corrupt. II. 9.

76) Comment. in Arist. Metaph. IV. p. 106.

77) Comm. in Arist. Metaph. p. 340 sq.

78) Gesch. u. System der Platonischen Philosophie. p. 661. adnot. 504.

qui lectorem ad Plat. Soph. 218. B. Theat. 147. D. Politic. 257. C. reiiciunt. 3) Brandisius[79]) et Stallbaumius[80]) Aristotelem Socratem illum, philosophiae parentem, natu minorem intellexisse censent, atque a Socrate natu maiore et annis provecto distinxisse; itaque aliam doctrinae rationem Socratis fuisse iuvenis, aliam, quum aetate iam longius esset provectus. Brandisius autem haec habet: „Unter dem iüngern Socrates möchte wohl . . . der im Platonischen Parmenides die ersten Keime der Ideenlehre entwickelnde Socrates als Jüngling (s. besonders Parm. p. 130. C.) zu verstehen sein." Sed Graecae linguae ratio prohibet, quominus hanc interpretationem accipiamus;[81]) nam Σ. ὁ νέος, non Σ. ὁ νεώτερος, idem valet quod Socrates adolescens, et Brandisius ipse docuit, si Σ. ὁ νεώτερος et Σ. ὁ πρεσβύτης unum eundemque hominem non indicent, Σωκράτην τὸν πρεσβύτερον, non Σ. τὸν πρεσβύτην, legi oportere. Sed si res ita se habet, tum profecto Aristoteles quum comparativum νεώτερον usurpat, alium indicare vult atque Socratem Sophronisci filium. Praeterea, nisi eo usque procedamus, ut dialogum Parmenidis nomine inscriptum ad historiae fidem compositum esse, ac Socratem, quo tempore fuit iuvenis, idearum doctrinam adumbrasse, sed postea per totam vitam nunquam excoluisse credamus, interpretationem quam Brandisius proposuit, minime probare poterimus. —

Contra secundam interpretationem fortasse quispiam dixerit, vocabulum εἰώθει ad iuvenem obscurum (qui in Platonis Politico secundas tantum aut tertias sustinet) neutiquam referri posse. At contra ex vocabulo illo optimo iure concludi potest, hunc Socratem iuniorem, quamquam nulla alia eius placitorum vestigia ad nostram aetatem pervenerunt, tum tamen temporis inter philosophos haud fuisse ignotum.[82]) At dicat aliquis forte,[83]) sententias eas, quae locis Aristotelis Metaphysicorum laudatis Σωκράτει τῷ πρεσβύτῃ attribuuntur, quanquam in Platonis scriptis

---

79) Rhein. Mus. I. p. 127.

80) Adnot. ad Plat. Soph. 218. B.

81) Hermann: Geschichte und System der Platonischen Philos. p. 661. adnot. 504.

82) Hermann: l. l. p. 661. adn. 504.

83) cf. Brandis. Rhein. Mus. I. p. 127.

reperiantur, verumtamen non in iis dialogis, in quibus Σωκράτους τοῦ νέου mentio fit. Sed, — ut Brandisii verba afferam, — „ohne Rücksicht auf solche Dialogen den Sohn des Sophroniscus von jenem wenig bedeutenden Jüngling zu unterscheiden, wäre durchaus zwecklos gewesen.“ Haec tamen sententia facile refelli potest. Nam 1) etsi Σ. ὁ πρεσβύτης Socratem illum, philosophiae parentem, aetate profectum significat, Aristoteles tamen, quum hoc loquendi genus usurpat, inter priorem et posteriorem formam Socraticae philosophiae ita distinguere fortasse voluit, ut de iuniore apud Platonem Socrate omnino non cogitaret. 2) Quae Brandisius, in verbis supra citatis, contra secundam interpretationem attulit, probari nequeunt, si quod A. Th. H. Fritzschius[84]) docuit verum est; — „Σ. ὁ πρεσβύτης dictum est cum significatione eius honoris, quem omnes natura duce viris aetate provectioribus habemus, quemadmodum nos: „das hat schon der alte Kant richtig eingesehen,“ et similia: cf. Iliad IV. 313. Aesch. Agam. 198 (209). Cic. pro Arch. VII.“ 3) Etiamsi Aristotelem, quum vocabulum πρεσβύτην addit, iuniorem apud Platonem Socratem respicere concedamus, optimo tamen iure, si supra ex voce εἰώθει recte conclusum est, asserrere poterimus Aristotelem, vel eos, qui eius de Moribus praelectiones in ordinem, qui nunc exstat, redegerunt, pro necessario fortasse habuisse, Socratis senioris et iunioris placita, quae ad quaestiones in illis Platonis dialogis non propositas pertinerent, distinguere et diiudicare.

3. Ad testimonia ex libris de philosophia morali Aristoteli adscriptis rite aestimanda, hoc quoque haud praetermittendum erit. Tria scripta moralia Aristotelis nomine tradita sunt; Ethica Nicomachea, Ethica Eudemia, Magna Moralia; de quorum quidem ratione viri docti dissentiunt. Schleiermacherus[85]) contendit 1) Magna Moralia ab ipso Aristotele profecta esse, indeque optimo iure fidem et auctoritatem his tribui posse;[86]) 2) Ethicis Eudemiis, quamvis ex Aristotelei disciPuli commentationibus composita

---

84) In Edit. Arist. Eth. Eud. Adnot. ad I. 5. 1216. b. 2.

85) Ueber die ethischen Werke des Aristoteles (sämmtliche Werke; zur Philosophie. III. p. 306—333).

86) cf. Glaser. Die Metaphysik des Aristot. p. 53 sq.

essent,[87]) secundum locum esse tribuendum: — 3) Ethica Nicomachea denique parvi aestimanda esse ad Aristoteleam de moribus doctrinam reperiendam.

Ex iis tamen, quae viri docti, in primis Spengelius,[88]) contra Schleiermacheri sententiam disseruerunt, haec concludenda esse videntur. 1) Ethica Nicomachea, si non ab ipso Aristotele scripta sunt, veram tamen ac genuinam Aristotelis doctrinam exhibent.[89]) — 2) Ethica Eudemia ab Eudemio Rhodio, Aristotelis discipulo scripta sunt,[90]) qui magistri placita partim conformavit, partim auxit, quod non solum nomina quaedam, sed etiam opiniones ab Ethicis Nicomacheis longe discedentes addidit.[91]) — 3) Magna Moralia posteriore aetate ex Eth. Eud. excerpta sunt.[92]) Quamquam igitur summa doctrinae in Eth. Eud. et Magn. Mor. expositae eadem est, quae in Eth. Nic., indeque Aristoteli adscribenda,[93]) singulorum tamen verborum et locutionum ne nimiam fiduciam habeamus cavendum erit.

4. In priorum philosophorum principiis et placitis tradendis et exponendis, Aristoteles, cum demonstrare vellet, illa cum suis categoriis concinere, eadem ipsa e sermonis et expositionis contextu soluta interdum ita protulit, ut a veritate sane aliquantum deflecteret.[94])

---

87) Böckh: Philolaus: p. 186.

88) Ueber die unter dem Namen des Aristoteles erhaltenen ethischen Schriften, — vorgetragen in der Sitzung der philosophisch-philologischen Classe den 24. April 1841. (Abhandlungen der Münchener Akademie.)

89) v. Pansch: De Ethicis Nicomacheis genuino Aristotelis libro. (Bonnae 1833). — Michelet: Comment. in Aristot. Eth. p. 1. — A. M. Fischer: De Ethicis Nicomacheis et Eudemiis, quae Aristotelis nomine tradita sunt (Bonnae 1847) p. 1. — Fritsche: Proleg. ad Eth. Eud. p. 26.

90) Spengel: p. 22. — Fischer: p. 1. — Fritsche: p. 13. — Ἀριστοτέλους Ἠθικὰ Εὐδήμια = doctrina Aristotelis de moribus ab Eudemo exposita. (Fritsche. p. 26.)

91) Spengel: p. 22. Fritsche: p. 29, 32, 33.

92) Pansch: de Arist. magnis moral. subditicio libro (1841). — Kopp: Gelehrter Anzeiger der Münchener Akademie IV. p. 59. — Spengel: p. 22. — Fritsche: p. 26.

93) Brandis: Rhein. Mus. I. p. 128. — Fritsche: p. 30.

94) Schwegler: Comm. in Arist. Metaph. III. p. 26 sq. — Bonitz: Comm. in Arist. Met. A. 984 a 11 (p. 66). — Zeller: Platon. Studien p. 200—216.

5. Postremo considerandum est, eos apud Aristotelem locos, qui Socraticae philosophiae lumen afferunt, rariores esse quam ut omnia eiusdem lineamenta exhibeant, et, si Platoni aequa ac Xenophonti auctoritas tribuatur, controversiam diiudicent.[95]) Quod autem ad quaestionem nunc propositam pertinet, mihi quidem persuasissimum est, qui nulla praeiudicata opinione praepeditus, locos illos per se spectatos diligenter perpendat, is necesse esse confiteatur, eosdem nihil continere, quod a Xenophontis scriptis abhorreat, aut quod a Xenophontei Socratis doctrina ita dissentiat, ut huius historici testimonia in suspicionem adducat.[96])

Caput IV.

Testimonia proferuntur, e fontibus de quaestione proposita ducta.

Iam propius ad rem accedamus, — et primum, ut ea quae de morali Socraticae philosophiae doctrina nunc quaesita sunt, melius intelligamus, et ita ad eadem facilius atque accuratius respondeamus, quaestionem propositam iterum exponere libet. Namque hic potissimum quaerendum est, utrum Socrates censuerit homines, ut boni virtutisque compotes fiant, incitatione vel admonitione, quae ex absoluta virtutis conscientia proficiscatur, ad agendum moveri et adduci, an ad actionis cuiusque exitum eventumque spectare, atque experientiae suae rationem habere debere. Brandisius sic respondet:[97]) „In lebendiger Anerkennung von der Unerschütterlichkeit und Unveräusserlichkeit der unbedingten sittlichen Werthbestimmungen[98]) war Sokrates zunächst

---

Philosophie der Griechen II. p. 241. — A. Jacques: Aristote considéré comme historien de la philosophie (1837).

95) Zeller: Philos. der Griechen. II. p. 15.

96) cf. Hermann: Gesch. und System der Plat. Phil. p. 250.

97) Gesch. der Phil. II. p. 33. Lectorem reiicit ad Plat. Apolog. p. 28. Crito. p. 48. Gorg. p. 512. Xen. Mem. I, 2, 64. 6, 9.

98) §. 1. l. l. utitur etiam verbo „Anforderungen". cf. Rhein. Mus. II. p. 97. 98. „sittliches Wissen . . . . . . im unmittelbaren Bewusstsein von der Tugend als Zweck an sich wurzele. . . . . . . Unmittelbarkeit unsres Bewusstseins vom Guten und von der Tugend."

bestrebt, einerseits unser **Wissen darum** als allgemeingültig nachzuweisen, und andrerseits zu zeigen, dass nur die aus dem Wissen oder Erkennen und einer dadurch geleiteten Selbstbestimmung hervorgehenden Antriebe und Handlungen für sittlich, Erkenntniss der Tugend oder sittliches Wissen daher für Endzweck unserer Bestrebungen, und Wohlverhalten, nicht Wohlbefinden, für das höchste Gut oder Glückseligkeit zu halten sei. Die Tugend bezeichnet er darum als Wissen, wollte keine Mehrheit derselben anerkennen: und lehrte, das Böse sei auf Unfreiheit oder auf Mangel an sittlicher Erkenntniss, nicht auf Gewalt der sinnlichen Begehrung zurückzuführen."

Alteram etiam de hac re sententiam protulerunt alii, qui sic disputaverunt; [99]) — ex eo, quod apud Xenophontem Socrates, ut audientium animos ad virtutem excitaret, emolumenta eiusdem proponit, haudquaquam concludi posse, argumenta ab utilitatis ratione petita ad Socraticae doctrinae essentiam pertinuisse; nam philosophum illum haec argumenta (a nulla, ne Evangelii quidem, disciplina exclusa) tunc solum attulisse, quum cum Aristippo, Charmide, Euthydemo colloqueretur, quorum animi nullo alio modo ad virtutem adduci potuissent. [100])

Nobis disputationis nostrae firmum ac solidum fundamentum circumspicientibus, haec una doctrina se offert: ἡ ἀρετὴ ἐστὶ ἐπιστήμη, Virtus est Scientia. Nam scientiam et virtutem esse unam eandemque statuisse Socratem, omnes ad unum affirmant Itaque locos in eam sententiam iam ab aliis adhibitos breviter afferre, satis esse videtur; —

Aristot. Eth. Nic. (ed. Zell) III, 8, 6. VI, 13, 5. Eth. End. I, 5, 1216. b. 6. III, 1, 1230. a. 7. Magna Moral I, 1, 35 (p. 1198. 10) I, 21. (p. 160 A). Xen. Memor. I, 1, 16. III, 9, 4. IV, 6, 2 sqq. 7, 11. Sympos. 2. 12. Plat. Proteg. 329. B. sqq. 349. B. sqq. Lach. p. 194.

Primum igitur videndum est, qualem Socrates apud Xenophontem et Aristotelem hanc scientiam esse statuerit; nam de

---

99) Delbrück: „Xenophon", p. 68. Browne: History of Classical Literature. II. p. 205.

100) cf. Dissen: de Philosoph. Morali in Xenophontis de Socrate Commentariis. p. 28.

hac re viri doctissimi tam vehementer inter sese dissentiunt, ut operae pretium facturus videar, si eandem accuratiori examini subiicere, et, si fieri possit, ad certum quendam exitum perducere studuerim. Priusquam autem illius testimonia perscrutemur, in cuius commentariis, ut mihi quidem videtur, fons reperitur limpidissimus, e quo germana Socratis doctrina ducenda est, omnes apud Aristotelem locos, qui Socraticam virtutis definitionem illustrant, colligamus ac diligenter examinemus; qua ex investigatione, ut mihi quidem persuasissimum est, effici cogique potest, scientiam illam, cui Socrates virtutem in aequo posuit, in experientia versari, et ab experientia pendere.

I. Aristoteles.

(a) Eth. Nicom. III, 8, 6. Δοκεῖ δὲ καὶ ἡ ἐμπειρία ἡ περὶ ἕκαστα ἀνδρία τις εἶναι· ὅθεν καὶ ὁ Σωκράτης ᾠήθη ἐπιστήμην εἶναι τὴν ἀνδρίαν. τοιοῦτοι δὲ ἄλλοι μὲν ἐν ἄλλοις· ἐν τοῖς πολεμικοῖς δ'οἱ στρατιῶται· δοκεῖ γὰρ εἶναι πολλὰ κενὰ (al. lect. καινά) τοῦ πολέμου, ἃ μάλιστα συνεωράκασιν οὗτοι. φαίνονται δὴ ἀνδρεῖοι, ὅτι οὐκ ἴσασιν οἱ ἄλλοι οἷά ἐστιν.

Ad hunc locum explicandum et illustrandum nihil satius videtur quam Brandisii verba subiicere; [101]) — „Nach Stellen in allen drei Ethiken (ex quibus locis unus iam supra allatus est) könnte es scheinen, Socrates habe Tapferkeit für das Wissen vom zu fürchtenden und nicht zu fürchtenden, und Tugend überhaupt für erfahrungsmässiges Wissen (ἐμπειρία) um die Objecte gehalten, worauf sie gerichtet." At Graec. Comm. sic adnotavit: „λέγει γὰρ ἐν Λάχητι Σωκράτης παρὰ Πλάτωνι ἐπιστήμην δεινῶν τε καὶ μὴ τὴν ἀνδρείαν εἶναι (Plat Lach. p. 285 Bekk) καὶ τὸ ἐν Πρωταγόρᾳ (p. 245. Bekk) εἰρημένον τοιοῦτον." Sic quoque Brandisius (l. l.): „Hier aber hat Aristoteles augenscheinlich Platon's Protagoras und Laches vor Augen, und stellt als unbedingte Socratische Behauptung auf, was dort nur aus Voraussetzungen der Sophisten gefolgert wird." Sed Aristoteles sic ratiocinatur: — Facinora, quae imperiti fortitudini assignant, ex ea scientia saepe nascuntur, quae facinorum exitum eventumque

---

101) Rhein. Mus. I. p. 134.

prospicit, — ut in militibus proelium committentibus. Ex quo (ὅθεν) et Socrates in illam opinionem falsam adductus est. — Sed si, ut Brandisius contendit, Socraticae doctrinae fundamentum in incitatione vel admonitione positum sit, quae ex absoluta virtutis conscientia proficiscatur, quae obsecro vis ac notio vocabulo ὅθεν subiicienda est? Quomodo rectae rationi convenienter explicari potest? Sed sive Platonis dialogos respicit Aristoteles, sive secus, nihil ad id, quod nunc agimus, interest. De huius saltem sententia, inter ἐπιστήμην, vel scientiam, quam Socrates virtuti in aequo posuit, et ἐμπειρίαν, vel experientiam, necessitudo intercedit arctissima. — Praeterea comparari possunt hi loci, qui cum eo, quem supra tractavimus, maximam partem conspirant, et nostram interpretationem stabiliunt: — Eth. Eud. III, 1, 1229. a. 15. et 1230. a. 7. Magn. Mor. I, 21. (pag. 160. A.)

b) Eth. Nic. VI. 13. 3. καὶ Σωκράτης τῇ μὲν ὀρθῶς ἐζήτει, τῇ δ' ἡμάρτανεν. ὅτι μὲν γὰρ φρονήσεις ᾤετο εἶναι πάσας τὰς ἀρετὰς ἡμάρτανεν. ὅτι δ' οὐκ ἄνευ φρονήσεως, καλῶς ἔλεγε. Si Eustratium quidem sequamur, haec verba ad Socratem apud Platonem referenda sunt; a Brandisio tamen adhibita sunt ad suam Socraticae doctrinae expositionem confirmandam. Quaenam igitur est Aristotelica φρονήσεως definitio? Sic legitur Eth. Nic. VI. 5. δοκεῖ δὴ φρονίμου εἶναι τὸ δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὑτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, κ. τ. λ. Ex his verbis grave sane argumentum duci potest, quo Brandisii sententia labefactetur, atque id stabiliatur, quod ex Eth. Nic. III, 8, 6, conclusimus.

c) Eth. Nic. VII, 13, 5. ὀρθὸς δὲ λόγος περὶ τῶν τοιούτων ἡ φρόνησίς ἐστι. Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι. ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας. ἡμεῖς δὲ μετὰ λόγου (cf. etiam Magn. Mor. I, 35, pag. 1193. 10). Haec quidem verba, quum hoc loco λόγος cum ὀρθῷ λόγῳ adeoque cum φρονήσει arcte cohaereat, aliam tantum formam Socraticae virtutis definitionis exhibent, atque nihil continent, quod a nostra locorum supra allatorum interpretatione abhorreat. Ceterum, ut sententiam quae in Aristotelis systemate sub voce ἀρετῇ subiecta est, cognoscamus, definitionem inspiciamus, quae legitur Eth. Nic. II, 6, 15: — ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε: — In

verbis ὡρισμένῃ etc. idem virtutis elementum reperimus, quod formulae οὐκ ἄνευ φρονήσεως (Eth. Nic. VI, 13, 3) et μετὰ λόγου (Eth. Nic. VII, 13, 5) declarant. Qui igitur potuit Aristoteles, se ita cum Socrate consentire dicere, ut (ὀρθὸν) λόγον, si non totam esse virtutem, at partem tamen eiusdem statueret, si in Socratica morum doctrina λόγος ad absolutam virtutis conscientiam referendus esset, sed in sua virtutis definitione ad experientiam et scientiam ab experientia pendentem.

Jam vero haec si recte disputata sunt, nullo modo putamus dubitari posse, quin, si Aristotelis testimonia sequimur, ea scientia, quam Socrates virtutem esse statuit, ad experientiam solam pertinuerit. Priusquam tamen ab Aristotelis scriptis ad Xenophontis commentarios nós convertamus, hos quoque locos examinemus, qui ab eo, quod ex praecedentibus collegimus, dissentire videntur.

1) Eth. Eud. I, 5, 1216. b. 2. Σωκράτης μὲν οὖν ὁ πρεσβύτης ᾤετ' εἶναι τέλος τὸ γινώσκειν τὴν ἀρετήν, ... ἐπιστήμας γὰρ ᾤετ' εἶναι πάσας τὰς ἀρετάς, ὥσθ' ἅμα συμβαίνειν εἰδέναι τε τὴν δικαιοσύνην καὶ εἶναι δίκαιον. Formula illa τὸ γινώσκειν τὴν ἀρετήν indicare videtur, scientiam illam, qua Socrates virtutem contineri dixit, ad absolutam boni rectique conscientiam referendam esse, neque exitum eventumque rerum respicere. Sed hoc loco pro ἀρετῇ, ἐπιστήμην ponamus; — τὸ τέλος = τὸ γινώσκειν τὴν ἐπιστήμην. Jam vero, etiamsi τὸ γινώσκειν vel τὸ εἰδέναι latiore sensu accipiendum est, quam τὸ ἐπίστασθαι, id tamen, quod Magn. Moral. I. 1 (sub finem) dicitur, huc quoque pertinet; — τὸ εἰδέναι τὴν ἐπιστήμην = τὸ εἶναι ἐπιστήμονα. Itaque τὸ τέλος = τὸ εἶναι ἐπιστήμονα h. e. τὸ ἐπίστασθαι. Quae quidem propositio nihil exhibet nisi formam Socraticae virtutis definitionis generalissimam; de cuius significatione hic disputatur.

2) Eth. Eud. I, 5, 1216. b. 9. — διόπερ ἐζήτει τί ἐστιν ἀρετή, ἀλλ' οὐ πῶς γίνεται καὶ ἐκ τίνων. Hic locus, si verba premimus, indiligentiae vestigia exhibet, quoniam in ipsa virtutis definitione (τί), quam Socrates proposuit, virtutis assequendae ratio (πῶς) implicite continetur. Attamen verba sic explicanda esse videntur: — Socrates non ostendit, quomodo (πῶς) ea scientia, quam virtutem esse existimabat, in mente paullatim nascatur, excolatur, perficiatur.

Rectissime nos de locis ex Aristotele adhibitis judicasse, magno indicio C. F. Hermanni sunt verba, in hunc modum loquentis;[102]) — „Wir müssen es als eine Willkühr zurückweisen, wenn in die Aristotelischen Ausdrücke der Sinn eines nicht von der Erfahrung erzeugten, sondern sie lenkenden, absolut sicheren Wissens hereingetragen und unterstellt wird."

Iam restat, ut, comparatis inter se his locis, quid de Socratis apud Aristotelem placitis statuendum nobis videatur, paucis complectamur.

Haec igitur Socratica de virtute decreta fuisse videntur; —

1. ἀρετή = ἐπιστήμη, φρόνησις, λογός, τὸ εἰδέναι etc.

2. Haec ἐπιστήμη etc. in experientia versatur, atque ab experientia pendet: —

quae quidem decreta arctissime connexa esse inter se atque copulata, primo aspectu perspicuum est; neque re ipsa a Socratis doctrina, qualis a Xenophonte tradita est, discrepare, nunc demonstrandum est.

II. Xenophon.

Kuehnerus [103]) Socratis placita Xenophonteis commentariis consignata ad disciplinae formulam revocavit, eundem, quem Dissenius,[104]) in singulis Socraticae doctrinae partibus disponendis sequens ordinem; cuius doctrinae haec capita sunt; — quae quidem cum placitorum ab Aristotele Socrati addictorum summa plane concinunt.

I. Bonum, quod quaerendum et expetendum est hominibus, quodque omnes natura ipsa duce vel inscii sequuntur, est utile (ὠφέλιμον, χρήσιμον, λυσιτελές). Utile autem dicitur id, quod finem quendam spectat, eidemque inservit. Per se igitur nihil bonum est, sed adsit necesse est, quo referatur, et cui utile sit. Sic legimus Mem. III, 8 §. 3. ἀλλὰ μήν, ἔφη, εἴγ' ἐρωτᾷς με, εἴ τι ἀγαθὸν οἶδα, ὃ μηδενὸς ἀγαθόν ἐστιν, οὔτ' οἶδα, ἔφη, οὔτε δέομαι. De pulchro quoque idem dicendum est, nam nihil pulchrum dicitur, nisi ratione eius habita, ad quod utile sit. Mem. III, 8, §. 7.

---

102) Geschichte und System der Plat. Philos. p. 251.

103) Proleg. ad Xen. Mem. p. 4—10.

104) De philosophia morali in Xenophontis de Socrate commentariis tradita: p. 8sqq.

πάντα γὰρ ἀγαθὰ μὲν καὶ καλά ἐστι, πρὸς ἃ ἂν εὖ ἔχῃ, κακὰ δὲ καὶ αἰσχρά, πρὸς ἃ ἂν κακῶς. IV. 6. §. 9. τὰ χρήσιμον ἄρα καλόν ἐστι, πρὸς ὃ ἂν ᾖ χρήσιμον.[105] Itaque per se nibil bonum, nihil pulchrum est, sed ratione habita eius, ad quod referatur; quicquid homo cogitat, sentit, agit, ad certum quendam finem referri, h. e. ad utilitatis rationes revocari debet. Iam vero summus finis, quem in cogitatione vel actione spectare possumus, vitae felicitate (εὐδαιμονίᾳ) continetur. Unde sequitur id bonum esse appellandum, quod ad finem illum assequendum, vel ad vitam singularem, domesticam, civilem feliciter agendam prodest. Caeterum ex eo, quod nihil per se bonum est, dilucide sequitur, id, quod aliis utile est, aliis noxium esse posse. Cf. libr. IV. cap. 6 §. 8: Δοκεῖ σοι τὸ αὐτὸ πᾶσιν ὠφέλιμον εἶναι; — Οὐκ ἔμοιγε. — Τί δέ; τὸ ἄλλῳ ὠφέλιμον οὐ δοκεῖ σοι ἐνίοτε ἄλλῳ βλαβερὸν εἶναι; — Καὶ μάλα, ἔφη. — Ἄλλο δ' ἄν τι φαίης ἀγαθὸν εἶναι ἢ τὸ ὠφέλιμον; — Οὐκ ἔγωγ', ἔφη. — Τὸ ἄρα ὠφέλιμον ἀγαθόν ἐστιν, ὅτῳ ἂν ὠφέλιμον ᾖ; — Δοκεῖ μοι, ἔφη. Curam igitur atque prudentiam adhibere debebimus, ut omnibus iis rebus, quae ad felicitatem nostram pertinent, ita utamur, ut felicitati nostrae quam maxime inserviant, nec saluti nostrae vel minime detrimentum afferant.[106] Etenim ea felicitas, quae omnes utilitates, ad vitam bene beateque degendam perinentes, in se continet, atque summus humanorum conatuum finis est, non cernitur iis bonis, quae fortuito hominibus contingunt, sed attentione, circumspectione, industria, virium contentione acquiratur necesse est.[107] Summum igitur bonum nihil aliud est, quam felicitas studio et labore parta.

Iam ad singulas virtutes nos convertamus.[108]

1) Temperantia est ea virtus, quae appetitiones et cupiditates (τὰς διὰ τοῦ σώματος ἡδονάς) cohibet sedatque, easdem rectae rationis imperio subiicit, et mentis sanitatem conservat.[109]

---

105) cf. Mem. III, 8. §§. 6. 10. Stallbaum: Proleg. ad Plat. Hipp. Mai. p. 155. Cic. de off. III. 3. „itaque accepimus Socratem exsecrari solitum eos, qui primum haec (honestum, et, utile) natura cohaerentia opinione distraxissent.

106) cf. Mem. IV, 2, 34.

107) cf. Mem. I, 2, §. 57. II, 1. §. 20.

108) cf. Zeller: Philosophie der Griechen. II. p. 62. 64.

109) Mem. I, 5. II, 1—7. IV, 5.

Sine temperantia nullum laborem laeto animo suscipere, nihil graviter et strenue discere vel agere,[110]) neque nobis neque aliis utiles esse possumus. cf. lib. I. cap. 5. §. 3. Temperantia si quis est destitutus atque cupiditatibus servit, is voluptatum illecebris et laborum taedio captus libertatem veram amittit, dissipat rem familiarem, officiis omnibus deest, trahitur ad ea, quae damna inferunt.[111]) Temperantia contra efficit, ut bonum consilium sequamur, in omnibus vitae conditionibus optima quaeque semper deligamus, et quaecunque appetimus, amplissimi eorum atque iucundissimi fructus ad nos redundent. Lib. IV. cap. 5 §. 9. ἡ δ' ἐγκράτεια μόνη ποιοῦσα καρτερεῖν τὰ εἰρημένα (λιμόν, δίψαν, κ. τ. λ.) μόνη καὶ ἥδεσθαι ποιεῖ ἀξίως μνήμης ἐπί τοῖς εἰρημένοις.[102]) Summa denique earum rationum, quibus Xenophonteus Socrates temperantiam commendat, huc redit; — nisi temperantiae studiosi sumus, vera felicitas nobis obtingere non potest.[113])

2) *Iustitia* cernitur in observandis legibus, quae apud homines valent; iustum esse, et id facere, quod legibus consentaneum est (νόμιμον) idem est. cf. libr. IV. cap. 4. §. 12. ἄρα τὸ αὐτὸ λέγεις, ὦ Σώκρατες, νόμιμόν τε καὶ δίκαιον εἶναι; — Ἔγωγε, ἔφη. — Adde lib. IV. cap. 6. §§. 5. 6. Sed duo legum genera distinguenda sunt; aliae enim leges scriptae sunt, aliae non scriptae.[114]) Non scriptae leges sunt eae, quas ipsa natura vel deus humano generi tribuit, quaeque apud omnes gentes valent. Divinas esse inde apparet, quod, qui has violant, eos poenae sequuntur certissimae.[115]) Scriptae autem sunt eae, quas cives ipsi ad communem salutem et utilitatem constituunt. Ex harum legum obedientia, quibus cautum est, ut probi praemiis donentur, improbi supplicio afficiantur, maxima et praestantissima commoda efflorescunt; in primis concordia, quae efficit, ut foris bellum feliciter geramus, domique pace fruamur;[116]) qua concordia non solum totius societatis civilis aedificium, sed etiam omnium sin-

110) Mem. I, 5, §. 5.
111) Mem. I, 5. II, 1, 1—7. IV, 5.
112) cf. Mem. II, 1, 17—19.
113) cf. Mem. II. 1. 19 sqq.
114) cf. Mem. IV, 4. IV. 12. §§. 13. 19.
115) cf. Mem. IV. 4. 19—24.
116) cf. Mem. IV. 4. §. 15.

gulorum civium salutem felicitatemque niti apparet. cf. libr. IV. cap. 4. §. 16. τούτοις (scil. τοῖς νόμοις) τῶν πολιτῶν ἐμμενόντων, αἱ πόλεις ἰσχυρόταταί τε καὶ εὐδαιμονέσταται γίγνονται· ἄνευ δε ὁμονοίας οὔτ' ἂν πόλις εὖ πολιτευθείη, οὔτ' οἶκος καλῶς οἰκηθείη. Ἰδίᾳ δὲ πῶς μὲν ἄν τις ἧττον ὑπὸ πόλεως ζημιοῖτο, πῶς δ' ἂν μᾶλλον τιμῷτο, ἢ εἰ τοῖς νόμοις πείθοιτο; κ. τ. λ. Nemo igitur rarius accusatur vel rarius supplicio afficitur, nemini maiorem honorem praestat civitas, atque saepius magistratus et imperia defert, quam ei, qui constanter et religiose legibus paret.[117]) Quae quidem legum observatio, quum illam salutem et utilitatem semper respiciat, quam leges ipsae spectant, haudquaquam per se iusta et bona est. Sed pro temporum diversitate eadem actio iusta et iniusta, bona et mala esse poterit.[118])

Ex praecedentibus apparet iustitiam, haud minus quam temperantiam, a Xenophonteo Socrate ad utilitatis rationes revocari.

(3) *Fortitudo.* Fortis est, qui in rebus periculosis et damnosis, quas, qui felicitatem assequi studet, fugere non debet, constanter et strenue agit, idque neque periculorum inscius (tum enim homines insani, vel etiam timidi, saepius fortes existimandi essent), neque fortunae tantum favore ductus. Is fortis iudicandus est, qui, quae vere periculosa sint, ea accurate cognita habet, et in his omnibus dextre, prudenter, strenue agere potest, id constanter sequens, quod maxime utile sit futurum. cf. libr. IV. cap. 6. §§. 10, 11: — in primis haec verba: Οἱ μὲν ἄρα ἐπιστάμενοι τοῖς δεινοῖς τε καὶ ἐπικινδύνοις καλῶς χρῆσθαι ἀνδρεῖοί εἰσιν, οἱ δὲ διαμαρτάνοντες τούτου δειλοί; — Ἔμοιγε δοκοῦσιν, ἔφη.

(4) *Amicitia.* Bonus amicus, — qui alterius saluti et felicitati consulit, damna ab illo avertit, commoda illius promovet, negotia illius tanquam sua curat, ope et consilio illum adiuvat, — res maximi pretii est. cf. libr. II. cap. 4. §. 5. Καίτοι πρὸς ποῖον κτῆμα τῶν ἄλλων παραβαλλόμενος φίλος ἀγαθὸς οὐκ ἂν πολλῷ κρείττων φανείη; κ. τ. λ. Amici autem temperantes esse debent, nam intemperantes et prodigi mox penuria implicantur, atque, avaritia impulsi, omnia sibi assumunt, et ita nullam nobis praebent utilitatem. Ut utiles sint, fidos et ad officia prompte praestanda

117) cf. Mem. IV. 21. §. 17.

118) cf. Mem. IV. 2. 13—19. Brandis: Rhein. Mus. II. p. 87. Delbrück: Xenophon. p. 134.

semper paratos esse, amicos oportet.[119]) Amicitiae igitur laudem inde petit Xenophonteus Socrates, quod amicorum ope utilitates adipiscamur.

(5) *Concordia inter parentes, liberos et fratres.* Parentes maxima in liberos conferunt beneficia. Itaque liberi, nisi ingratorum adeoque iniustorum in numero haberi velint, parentibus maximam gratiam semper referre debent.[120]) Quapropter concordia inter parentes et liberos, ex qua his quidem praestantissima bona proficiscuntur, constanter et diligenter servanda est. Inter fratres quoque concordiam servari decet. Nam ii, quibus fratres sunt, non solum inimicorum irae minus obiecti sunt, sed etiam ab omnibus civibus magis coluntur et observantur. Cf. libr. II. cap. 3. §. 4. οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι τιμῶσί τε μᾶλλον τοὺς συναδέλφους ὄντας τῶν ἀναδέλφων, καὶ ἧττον τούτοις ἐπιτίθενται. Accedit, quod fratres, etiamsi longo spatio disiuncti, tamen maximam sibi invicem utilitatem praebere possunt. v. Lib. II. 3. 19. — Ex lib. IV. 4. §. 4. intelligitur id, quod de fratribus dicitur, ad caeteros quoque propinquos transferendum esse. Itaque propinqui, — ut praecedentia paucis complectar, — inter se concordes esse debent, quia a deo creati sunt ad mutuam sibi opem ferendam.

(6) *Reipublicae salutis cura.* Si quis ingenio ad rempublicam gerendam apto praeditus est, eum civitatem administrandam et quam maxima prosperitate augendam suscipere oportet; nam nisi societas civilis floret, h. e. nisi homines bonis legibus et benevolentia ita inter se connexi sunt, ut alter alterum semper adiuvet, summae huius vitae commoditates ac summa felicitas attingi nequeunt. Respublica autem, quae bene constituta est et bene administratur, omnium singulorum civium salutem et prosperitatem promovet. Itaque si rempublicam amplificamus, non solum communi felicitati, sed etiam nostrae ipsorum felicitati optime consulimus. Cf. libr. III. cap. 7. §. 9. καὶ μὴ ἀμέλει τῶν τῆς πόλεως, εἴ τι δυνατόν ἐστι διὰ σὲ βέλτιον ἔχειν· τούτων γὰρ καλῶς ἐχόντων, οὐ μόνον οἱ ἄλλοι πολῖται, ἀλλὰ καὶ οἱ σοι φίλοι καὶ αὐτὸς σὺ οὐκ ἐλάχιστα ὠφελήσῃ. Sic igitur in reipublicae salutis cura commendanda, Xenophonteum Socratem argumenta ab utilitatis rationibus petita adhibere reperimus.

119) cf. Mem. II, capp. 6. 10.
120) cf. Mem. II, 2.

(7) *Iactantia* (ἀλαζονεία) semper diligenter vitanda est; nam si quis quid sibi vindicat, quod non possideat, suae imperitiae convictus, non solum ridiculus, sed etiam turpis fiat necesse est. Ita vita eius molesta et odiosa fit, atque aliis qui eius iactantia delusi sunt, magnum detrimentum infert. [121])

(8) *Corporis exercitatio.* Exercitationes gymnicae corpus validum et robustum reddunt. Robur autem corporis et dexteritas, bonaque valetudo, in magnis bonis habenda sunt, quia non solum ad ea consequenda pernecessaria sunt, quae ipso corpore peragimus, sed etiam ad animum firmandum utilissima sunt, et ad mentis sanitatem proxime pertinent. Sine sano corpore neque res adversas tam aequo animo ferre, neque pericula tam fortiter subire possumus, quam is, qui bono valetudine fruitur. Corporis sanitas ad vitam honeste et patriae amicisque utiliter degendam, atque ad laudem sibi et gloriam comparandam multum confert. [122]) Corporis igitur exercitationem et valetudinis curam suadet Xenophonteus Socrates, quod illa summo bono, vitae nempe felicitati prosint.

In *pietate erga deos* commendanda, utilitatis rationes adhibet Xenophonteus Socrates. Sic legimus, lib. IV. cap. 3. §. 17. χρὴ οὖν μηδὲν ἐλλείποντα κατὰ δύναμιν τιμᾶν τοὺς θεοὺς θαῤῥεῖν τε καὶ ἐλπίζειν τὰ μέγιστα ἀγαθά· οὐ γὰρ παῤ ἄλλων, γ'ἄν τις μείζω ἐλπίζων σωφρονόιη ἢ παρὰ τῶν τὰ μέγιστα ὠφελεῖν δυναμένων, ὀυδ' ἂν ἄλλως μᾶλλον, ἢ εἰ τούτοις ἀρέσκοι, ἀρέσκοι δε πῶς ἂν μᾶλλον, ἢ εἰ ὡς μάλιστα πέιθοιτο αὐτοῖς; [123])

Ut omnia quam brevissime complectar, afferam quae leguntur libr. II. cap. 1. Τῶν γὰρ ὄντων ἀγαθῶν καὶ καλῶν οὐδὲν ἄνευ πόνου καὶ ἐπιμελείας θεοὶ διδόασιν ἀνθρώποις· ἀλλ' εἴτε τοὺς θεοὺς ἵλεως εἶνάς σοι βούλει, θεραπευτέον τοὺς θεούς· εἴτε ὑπο φίλων ἐθέλεις ἀγαπᾶσθαι, τοὺς φίλους εὐεργητέον· εἴτε ὑπό τινος πόλεως ἐπιθυμεῖς τιμᾶσθαι, τὴν πόλιν ὠφελητέον. — — — εἰ δὲ καὶ τῷ σώματι βούλει δυνατὸς εἶναι, τῇ γνώμῃ ὑπηρετεῖν ἐθιστέον τὸ σῶμα καὶ γυμναστέον σὺν πόνοις καὶ ἱδρῶτι.

Priusquam ad alteram Xenophontei Socratis de moribus doc-

---

121) cf. Mem. I. 7.
122) v. Mem. II. 12. §. 4.
123) cf. Mem. I. 4. §§. 18, 19.

trinam procedamus, ea inspiciamus, quae de artibus et disciplinis dicit; nam eum harum quoque pretium utilitate metiri reperiemus.

Artes et disciplinae, studiis hominum inventae et excultae, eatenus tantum tractandae sunt, quatenus quotidiana hominum negotia attingant, et ad vitam privatam publicamque bene instituendam, rite tuendam, utiliterque agendam prosint. Ex Geometria, Astronomia, Arithmetica ea tantum discenda sunt, quae ad bene beateque vivendum pertinent. Ulterius progredi, et in eas harum artium et disciplinarum partes incumbere, quae a quotidiana vita abhorrent, atque in rebus obscuris et ab hominum oculis remotis versantur, inutile et vituperandum est. [124])

II. Quoniam summa vitae felicitas non fortitudo homini contingit, sed industriae laborisque praemium est, ad eandem adipiscendam animus noster vi quadam perpetua praeditus sit necesse est; quae quidem vis *virtute* continetur. Iam vero, qui quid utile sit accurate cognitum habet, is utilia semper faciet. Sed bonum rectumque idem est atque utile. Prudentia igitur, vel sapientia, qua bona vel honesta (utilia) et mala vel turpia (noxia) distinguere et diiudicare possumus, non peculiaris virtus, vel singularis quaedam virtutis species est, sed una eademque est cum universa virtute; fortitudo, iustitia, temperantia nihil aliud sunt, quam sapientiae vel scientiae partes. Sapiens igitur, qui quid bonum honestumque (utile) sit novit, ea semper faciet, quae bono honestoque (utili) conveniant. Sapientem esse et virtutis compotem idem est. cf. libr. I. cap. 1. §. 16. τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς κἀγαθοὺς εἶναι. — Lib. III. Cap. 9. §. 4. σοφίαν δὲ καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζεν, ἀλλὰ τὸν τὰ μὲν καλά τε καὶ ἀγαθὰ γιγνώσκοντα χρῆσθαι αὐτοῖς, καὶ τὸν τᾶ αἰσχρὰ εἰδότα εὐλαβεῖσθαι, σοφόν τε καὶ σώφρονα ἔκρινεν. [125]) Hunc locum sic interpretatur Frickhius (in Lips. Annal. phil. 1828. p. 291.): „(er urtheilte), wer das Gute wisse, bediene sich desselben, und wer das Schimpfliche kenne, meide es, beides in sich vereinigend, den Weisen und den Besonnenen.“ Kuehnerus cum Langio locum

---

124) cf. Mem. IV. 5. §. 12. — IV. 6. — IV. 7. §. 2. Zeller: Philosophie der Griechen: II. p. 52 sq.

125) cf. Libr. IV. cap. 6. §. 6. Ὀρθῶς ἂν ποτε ἄρα ὁριζοίμεθα, ὁριζόμενοι δικαίους εἶναι τοὺς εἰδότας τὰ περί ἀνθρώπους νόμιμα; —Ἔμοιγε δοκεῖ, ἔφη.

sic explanandum existimat; „Sapientiam et temperantiam non discernebat Socrates, sed eum, qui pulchra et bona sciat idemque iis uti sciat, et eum, qui turpia sciat idemque iis abstinere sciat, sapientem et temperatum iudicabat.“ Utut verborum constructio explicanda est, negari certe non potest, Socratem censuisse, qui σοφός, i. e. boni rectique gnarus sit, eundem bene et recte agat (σώφρων) necesse esse.[126])

Lib. III. cap. 9. §. 5. Ἔφη δὲ καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην πᾶσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι. τά τε γὰρ δίκαια καὶ πάντα, ὅσα ἀρετῇ πράττεται, καλά τε καὶ ἀγαθὰ εἶναι. καὶ οὔτ' ἂν τοὺς ταῦτα εἰδότας ἄλλο ἀντὶ τούτων οὐδὲν προέλεσθαι, οὔτε τοὺς μὴ ἐπισταμένους δύνασθαι πράττειν, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἐγχειρῶσιν, ἁμαρτάνειν. οὕτω καὶ τὰ καλα τε καὶ ἀγαθὰ τοὺς μὲν σοφοὺς πράττειν, τοὺς δὲ μὴ σοφοὺς οὐ δύνασθαι, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἐγχειρῶσιν, ἁμαρτάνειν. ἐπεὶ οὖν τά τε δίκαια καὶ τὰ ἄλλα καλά τε καὶ ἀγαθὰ πάντα ἀρετῇ πράττεται, δῆλον εἶναι, ὅτι καὶ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα ἀρετὴ σοφία ἐστί.[127]) In verbis ἐπεὶ οὖν — ἀρετῇ πράττετται offenderunt Finckhius et Kuehnerus,[128]) atque emendationes proposuerunt. — Priusquam ad nostram huius loci interpretationem accedamus, de significatione vocum ἀγαθοῦ et ἀρετῆς quaedam praemittenda esse videntur. Apud Homerum saepius reperiuntur formulae ἀγαθὸς βοήν, βίην etc. (cf. Hdt. I. 135 etc. ἀγαθὸς μάχεσθαι) atque apud scriptores posteriores formulae ἀγαθὸς περί τι, εἴς τι, πρός τι, ἔν τινι. Herodotus autem τὰ ἀγαθά haud semel de fortunis ac divitiis usurpat; sic quoque generosi, potentiores, divites, optimates οἱ ἀγαθοί saepissime nominantur apud Hom. Pind. Eurip. Aristoph. Thucyd. Xenoph. Aristot. Plut. alios: de quo huius vocis usu apte conferas Welckeri Prolegomena ad Theogn. Reliq. (pag. 22 sqq.),[129]) ubi vir clarissimus doctissime ed hac re disputavit. Notio denique, quam Aristoteles in philosophia sua verbo ἀγαθῷ subiecit, ex hoc loco apparebit: Rhetor.

126) cf. Kuehnerum ad loc. et Stallbaumium Proleg. ad Plat. Charmid. pag. 81 sqq.

127) De hac sententia v. Stallbaumium ad Plat. Hipp. Min. p. 375. D. et Car. Beierum in Excurs. IX. ad Cic. off. I. 5. p. 328 sqq. — De loco ipso cf. Hermann: Gesch. und System der Plat. Philos. p. 331. adnot. 336.

128) cf. Kühner: ad l.

129) cf. Grote: History of Greece III. p. 62. (adnot.) —

I. 6. 1: βουλεύονται δὲ οὐ περὶ τοῦ τέλους, ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὸ τέλος. ταῦτα δ'ἐστὶ τὰ συμφέροντα κατὰ τὰς πράξεις, τὸ δὲ συμφέρον ἄγαθόν.[130]) Itaque τὸ ἀγαθόν ad id relatum fuisse videtur, quod salutem (Wohlsein), vel felicitatem creat, tuetur, auget; ὁ ἀγαθός autem ad eum, qui aut salutem vel felicitatem creat etc., aut eadem fruitur.

Porro vox ἀρετή excellentiam vel praestantiam cuiusque generis indicat; atque de pedibus, de soli, fontium, plantarum, etc. natura ac virtutibus dicitur.[131]) Denique, ut ad philosophos redeamus, hos ex Platone et Aristotele allatos locos inspiciamus: — Plat. Meno. p. 77. B. καὶ ἐγὼ τοῦτο λέγω ἀρετὴν, ἐπιθυμοῦντα τῶν καλῶν δυνατὸν εἶναι πορίζεσθαι. — Rep. I. p. 353. B. ἆρ' ἄν ποτε ὄμματα τὸ αὑτῶν ἔργον καλῶς ἀπεργάσαντο μὴ ἔχοντα τὴν αὑτῶν οἰκείαν ἀρετήν, ἀλλ' ἀντὶ τῆς ἀρετῆς κακίαν; Καὶ πῶς ἄν; ἔφη. — Aristot. Eth. Nic. II, 6, 2; ῥητέον οὖν ὅτι πᾶσα ἀρετὴ οὗ ἂν ᾖ ἀρετὴ αὐτό τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν.[132]) ἡ ἀρετὴ igitur dici potest, quum latiore sensu de excellentia vel praestantia in universum, tum strictiore sensu de humanae mentis vel animi virtute. Itaque τὰ αγαθά, vel τὰ ἀρετῇ πραττόμενα, aut bona in universum, aut ea bona, quae ab humanae mentis vel animi virtute proficiscuntur, significant. Iam vero, — ut ad locum ex Xenoph. Memor. (III, 9, 5) transcriptum revertamur, — priusquam de huius loci singulis verbis et locutionibus dicamus, satius videtur, quam copiosissime et accuratissime exponere, qualis nobis ea Socratis doctrina fuisse videatur, quam Xenophon hic tradidit; ac postea nostram sententiam ex ipsis Xenophontis verbis confirmare. Etenim hoc modo speramus fore ut appareat, Xenophontem fundamentalem magistri doctrinam haud minus accurate vel scienter exposuisse, quam

---

130) v. Hermann: Geschichte und System der Platonischen Philosophie. p. 329. adnot. 321. Görenz. ad Cic. de Fin. III. 10.

131) Hdt. IV. 198. Thuc. I. 2. etc.

132) cf. Hermann: Geschichte und System der Plat. Phil. p. 247. „*Das Gute* ist im weitesten Sinne schon dem gewöhnlichen Sprachgebrauche nach dasjenige, was dem Menschen zur Erreichung seiner Absichten als Mittel dient; *die Tugend* besteht in der Tüchtigkeit sich dieser Mittel am rechten Orte und in rechter Weise zu bedienen."

Aristotelem, atque percommodum sensum hoc loco praeberi sine ulla emendatione.

1. Praemonendum est σοφίαν, τὸ εἰδέναι, τὸ ἐπιστασθαι, hoc loco promiscue usurpari.

2. Doctrina hic tradita haec est; ἡ ἀρετή ἐστι σοφία.

3. Hae denique, de mea sententia, fuerunt, logice explicatae, omnes eius ratiocinationis partes, qua Socrates ad doctrinam illam pervenit.

1) οἱ τὰ καλά τε καί ἀγαθὰ (sensu latiore) εἰδότες, πράττουσι τὰ καλά κ. τ. λ. 2) τά τε δίκαια καὶ ἀγαθά (sensu strictiore) εἰσι καλά κ. τ. λ. 3) Ergo, οἱ τά τε δίκαια κ. τ. λ. εἰδότες, πράττουσι τά τε δίκ. κ. τ. λ. 4) τά τε δίκαια κ. τ. λ. ἀρετῇ πράττεται. 5) Ergo, οἱ τά δίκαια κ. τ. λ. εἰδότες, ἀρετῇ πράττουσι. 6) Ergo, ἡ ἀρέτη (ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα ἀρετὴ) = τὸ εἰδέναι vel σοφία.

Si hoc σχῆμα cum Xenophontis verbis comparamus, illius partes in his sic se exhibent: —

1) καὶ οὔτ' ἂν τοὺς ταῦτα εἰδότας ἄλλο ἀντὶ τούτων οὐδὲν προέλεσθαι, κ. τ. λ. 2) τά τε (γὰρ) δίκαια καὶ πάντα, ὅσα ἀρετῇ πράττεται, καλά τε καὶ ἀγαθὰ εἶναι. 3) mente supplendum est. 4) ἐπεὶ οὖν τά τε δίκαια καὶ τὰ ἄλλα καλά τε καί ἀγαθὰ πάντα ἀρετῇ πράττεται. 5) mente supplendum est. 6) δῆλον εἶναι, ὅτι καὶ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα ἀρετὴ σοφία ἐστί.

ἡ ἀρετή hoc loco sensu strictiore reperitur, h. e. humanae mentis vel animi virtutem, excellentiam, spectat. Atque Xenophon, ne τὰ ἀγαθά ambigue usurpet, τὰ ἀγαθά strictiore sensu τὰ τῇ ἀρετῇ πραττόμενα appellat.

Talis est Xenophontei Socratis de bono et virtute doctrina, quam quidem nullo modo eandem esse, quae Aristippi, nec *voluptate* [133]) omnia metiri, ex multis Xenophontis locis luculentissime patet; sed unum tantummodo afferre satis habemus. Exstat is libr. IV. cap. 5. §. 10. ἀπὸ τοῦ μαθεῖν τί καλὸν καὶ ἀγαθόν . . . . . οὐ μόνον ὠφέλειαι ἀλλὰ καὶ ἡδοναὶ μέγισται γίγνονται. [134])

---

133) In dissertatione sua *Dissenius* voluptatem et utilitatem confudisse videtur.

134) Adde lib. IV. cap. 5. §. 6. et cap. 8. §. 11. — cf. Hermann: Geschichte und System der Platonischen Philosophie; p. 335. adnot. 348.

Iam vero, sive totum Xenophontis opus inspicimus, sive singulos quosdam locos examinamus, omnino nihil offendimus, quod Aristotelis testimoniis contradicat. Itaque si et Xenophontis et Aristotelis testimonia paucis complecti volumus, haec Socraticae morum doctrinae capita fuisse videntur.

1. τὸ ἀγαθόν = τὸ χρήσιμον etc., h. e. id quod verae hominis saluti ac felicitati inservit.

2. ἡ ἀρετή = ἐπιστήμη etc., h. e. scientia, quae in utili versatur, atque ab experientia pendet.[135])

III. Plato.

Quoniam Plato ad Socraticam philosophiam cognoscendam nulla fere auctoritate apud me valet, in illis locis apponendis acquiescam, ubi ea de virtute doctrina respicitur, quam Socrati attribuendam esse censeo; — Apol. p. 28. p. 30 A. Sympos. p. 205. A. Gorg. p. 522 sqq. 527. Theaet. p. 128. Phaed. p. 107. Euthyd. p. 279. A. Alcib. II. p. 145. C. Repub. I. p. 347 sqq. p. 351. p. 352. VI. p. 504. E. X. p. 613. p. 617.[136])

Diversas de Platonis Lachetis et Charmidis consilio sententias reperies ap. Brandis: Rhein. Mus. I. p. 138. Geschichte der Philosophie II. p. 460. Kuehner: Proleg. ad Xen. Mem. p. 8. (adnot.) et adnot ad Lib. IV. 6. §. 10. Zeller: Philosophie der Griechen II. p. 158. (adnot. 3). Stallbaum: Proleg ad Plat. Charm. et Lach. —

De Socratica virtutis definitione haec testimonia praebent *Seneca* et *Diogenes Laertius:* —

Seneca: Ep. 71. med. „Idem esse dicebat Socrates veritatem et virtutem.“ Ibid. s. fin. „Quid erit haec virtus? iudicium verum et immotum: ab hoc enim impetus veniet mentis, ab hoc omnis [illegible] dum movet, redigitur ad liquidum.“[137])

[illegible] Socratica virtutis definitione ita ut nos in-
[illegible] Socrates, p. 187. — Hermann: Gesch. und
[illegible] 251. al. — Marbach: Geschichte der Philo-
[illegible] Nic. ed Brewer: (Oxf. 1836) Proleg. ad
[illegible] tory of Greece: VIII. p. 622.
[illegible] ce: VIII. p. 600. (adnot.)
[illegible] 1, 3. ἔτι γάρ, ἐστιν ἁπάσης ἀρετῆς ἀρχὴ μὲν
[illegible] χιμάζεται, τι πρακτέον ἐστί, τῇ δὲ σώζεται.

Diog. Laert. II. 31. ἔλεγε δὲ καὶ ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην, καὶ ἓν μόνον κακόν, τὴν ἀμαθίαν. — 32. καί ποτε ἐρωτηθείς, τίς ἀρετὴ νέου, „τὸ μηδὲν ἄγαν", εἶπεν.

Caput V.

Aliae quaedam quaestiones attinguntur, cum proposita arcte coniunctae.

1. Εὐπραξία et εὐτυχία. Brandis: Rhein. Mus. I. p. 135 sq. „Die nähere Bestimmung desselben (d. h. des socratischen Begriffs vom sittlichen Wissen) scheint (in Xenophon) . . . . . . Theils in der Unterscheidung von *Wohlergehen* und *Wohlverhalten*, d. h. von bloss empfangener, genossener und durch Thätigkeit erreichter, in Thätigkeit bestehender Glückseligkeit, (εὐτυχία, εὐπραξία, Mem. III, 9, 14. II, 1, 19. vgl. IV, 2, 34) einer Sonderung, worin sich die Grundverschiedenheit aller sittlichen Ansichten aufs bestimmteste ausspricht." Sed hoc loco vir doctissimus non modo nullum argumentum attulisse, quod ad suam Socraticae doctrinae interpretationem stabiliendam valere possit, sed etiam in ultima huius sententiae parte a vero aliquantum aberrasse videtur. Nam in hac potius quaestione decernenda moralis philosophiae disciplinae inter se discrepant, si quidem quaeritur, utrum homo, ut bonus virtutisque compos fiat, ad agendum incitatione vel admonitione indigeat, quae ab absoluta virtutis conscientia proficiscatur, neque ullam habeat rationem eorum, quae ex iis, quae agimus, consequantur, sive iucunda, sive iniucunda, sive ad corpus, sive ad mentem pertineant, an scientia, quae ab experientia sola pendeat, moveri et excitari debeat. Brandisius ipse hanc distinctionem aliter expressit, ac supra, in libro „Dictionary of Greek and Roman Biography and Mythology", (ed. W. Smith, L.L.D. London, 1844—9) sub voce „Socrates", (III. p. 852. a) atque his quidem verbis: „a distinction (h. e. inter ‚good conduct' et ‚good fortune') in which is expressed the most important diversity in all later treatment of ethics, which sets down either a certain mode of *being* or *acting*, as such, or else the mere enjoyment that results therefrom, as that which is in itself valuable".[138])

138) cf. Dissen: de philosophia morali, etc. p. 26.

Accedit, quod Brandisius voce εὐπραξίᾳ eam notionem significari iudicat, quae quasi fundamentum moralis Socratis doctrinae sit. Sed de Brandisii sententia philosophus ille fundamentum suae de moribus philosophiae in „einer unmittelbaren, unbedingten sittlichen Werthbestimmung und Anforderung“ posuit: itaque facinorum eventus, sive iucundos, sive iniucundos, nullo modo respiciendos esse censuit. Iam vero si εὐπραξία vertenda est „Glückseligkeit, durch Thätigkeit erreicht, in Thätigkeit bestehend,“ quomodo Brandisius ex hac voce argumentum sententiae suae stabiliendae haurire potest? In libro „Geschichte der Philosophie,“ (p. 21, adnot. hhh.), εὐπραξίας interpretationem dedit, quae a supra commemorata penitus discrepat; vertit enim „Rechtthun.“ [139]) Sed in eo quoque peccasse mihi videtur. Nam tum quidem particulae εὖ duae notiones subiiciuntur, quas inter se prorsus differre ex Germanica etiam versione primo aspectu elucet. Confitendum est sane vocabulum εὖ (ut quoque ἀγαθόν, bonum, gut, good etc.) ambiguum esse, atque apud Platonem disceptationes reperiri, quae circa hanc ambiguitatem vertuntur. Sed nimirum quum εὐπραξία et εὐτυχία inter se opponuntur, τὸ εὖ unam eandemque significationem in utroque verbo habeat necesse est. Haec igitur vis ac notio vocibus εὐπραξίᾳ et εὐτυχίᾳ hoc loco subiicienda esse videtur; — εὐπραξία talem actionem, εὐτυχία, talem fortunam, qualis salutem vel felicitatem secum adducit, significat; quam quidem interpretationem Xenophontis indeque etiam Socratis sententiae consentaneam esse, totum locum diligenter inspicienti et recensenti clarum et perspicuum erit. Neque certe verba μαθόντα et μελετήσαντα, quibus Xenophon hoc loco utitur, talem εὐπραξίας versionem admittunt, qualem Brandisius ad suam totius Socraticae de moribus doctrinae expositionem confirmandam vel explicandam adhibere possit. Porro, qui quaeso sunt οἱ τὰ γεωργικὰ εὖ πράττοντες, nisi ii, qui res rusticas ita tractant, ut annus quisque magnum frugum fructuumque proventum afferat? Qui deinde sunt οἱ τὰ ἰατρικὰ εὖ πράττοντες, nisi ii, qui ita medicinam adhibent, ut aegroti celeriter convalescant? Qui postremo sunt οἱ τὰ πολιτικὰ εὖ πράττοντες, nisi ii, qui reipublicae rationes et negotia ita procurant, ut omnes cives salute prosperaque for-

139) cf. Fries: Geschichte der Philosophie. I. p. 259.

tuna utantur? Itaque certum est vocem εὐπραξίαν hoc loco nequaquam ita explicandam esse, ut Brandisius vult, sed eventum rerum exitumque respicere; atque totum hunc locum illi Socraticae de moribus doctrinae expositioni valde stabiliendae inservire, quam vero tam Aristotelis quam Xenophontis testimoniorum sensu esse fulcitam iam supra demonstrare studuimus.[140])

2. Πάθος, quid significat in Socratica philosophia? Socrates, qui virtutem scientiam, vitium inscientiam esse statuit, cupiditatis vel libidinis vim necessario negavit; quae quidem conclusio sic legitur Magn. Moral. I. 1. συμβαίνει οὖν αὐτῷ ἐπιστήμας ποιοῦντι τὰς ἀρετὰς ἀναιρεῖν τὸ ἄλογον μέρος τῆς ψυχῆς. τοῦτο δὲ ποιῶν, ἀναιρεῖ καὶ πάθος καὶ ἦθος. II. 6. ἀνῄρει ὅλως καὶ οὐκ ἔφη ἀκρασίαν εἶναι. Eth. Nic. VII. 2, 1. Σωκράτης μὲν γὰρ ὅλως ἐμάχετο πρὸς τὸν λόγον, ὡς οὐκ οὔσης ἀκρασίας. cf. Eth. Nic. VII. 13, 4.[141]) Brandisius, postquam in Mus. Rhen. (I. p. 132) hos locos sic recte verterat: „Unenthaltsamkeit, meinte er . . ., sei überhaupt nicht;“ atque percommode interpretatus erat: „Affect und Gewöhnung oder Sitte . . . sind auf keine Weise als Bestimmung des sittlichen Verhaltens anzuerkennen;“ Socraticam doctrinam in Graecae philosophiae Historia sic minus recte exposuit: „daher Affect und Unenthaltsamkeit nichts vermöge gegen das Wissen.“ Neque id valet, quod Brandisius contra explicationem Socraticae virtutis definitionis nobis probatam obiecit, ita disputans:[142]) „die Folgerung, wo sittliches Wissen sich finde, habe keine widerstrebende Begierde Gewalt, wäre (dann) abgeschmackt und lächerlich gewesen.“ Nam si Brandisius ipse summam Socraticae philosophiae propositionem, — scil. virtutem esse scientiam, — sic explicare velit, ut notio cupiditatum virtuti repugnantium in eam philosophiam ullo sensu admitti possit, inde certe ad explicationem illam evertendam argumentum duci potest, quod locos iam supra ex Aristotele allatos etiam leviter ponderanti grave ac firmum videatur necesse est.

140) C. F. Hermanni sententiam de hac re reperies in libro: „Geschichte und System der Platonischen Philosophie,“ p. 253. adnot. 340.

141) De doctrina „οὐδεὶς ἑκὼν πονηρός,“ v. Hermann: Geschichte und System der Platonischen Philosophie: p. 330. adnot. 328. Brandis: Geschichte der Philosophie: II. p. 38. adnot. t. Zeller: Philosophie der Griechen. II. p. 58. adnot. 3.

142) Rhein. Mus. I. p. 134.

Qualemcunque eam scientiam fuisse statuamus, quam Socrates virtutem esse arbitratus est, victoria, quam virtus d libidinibus reportare dicitur, nihil aliud in Socratica philosophi significare potest, nisi mentis ab inscientia ad scientiam transitum atque huius victoriae consummatio nihil aliud, nisi perfectam ἐπιστήμης adeptionem, ἀμαθίᾳ prorsus expulsa.

3. Iam supra diximus, verisimillimum esse, Socratem, mora lis philosophiae parentem, sententias proposuisse, quae inter s aliquantum discreparent. Sed fortasse quispiam dixerit, me pe totam expositionem ostendere conatum esse, Socraticam de mori bus doctrinam secum optime conspirasse. Equidem tamen con cedere non dubito, plures in Xenophontis commentariis loco reperiri, qui ab iis placitis, quae Socrati addicenda esse conten dimus, plane abhorrent. Quorum quidem locorum tres nun apponam.

1) Lib. II. cap. 2. mater totam se curae liberorum traden nulla utilitatis ratione habita, describitur.[143])

2) Lib. III. cap. 9. §§. 1 sqq. Socrates affirmat et de monstrare studet, φύσιν (quae a *mentis* conditione non pende ad fortitudinem excolendam magni momenti esse.[144])

3) Ἐγκράτεια, quam Socratem non pro *mentis* statu habuiss ex iis, quae supra exposui, luculenter apparet, in Xenophon commentariis ἀρετῆς κρηπίς nominatur, atque ad iudicia men conservanda, ad scientiam comparandam, ad sapientiam asseque dam requiri dicitur.[145]) Et si quis dicit,[146]) Socratem censuiss scientiam illam, qua virtutem contineri statuit, haud acquiri poss nisi cupiditates et libidines temperantiae imperio subiicerentu id quidem discrepantiam supra commemoratam minime tollit.[14 Ut G. Grotii verbis[148]) opusculum meum absolvam: „Socrat escaped the erroneous consequences of a narrow theory by partial inconsistency.“

143) Dissen: de philosophia morali etc. p. 14.

144) cf. Hermann: Gesch. und System der Plat. Phil. p. 248.

145) Mem. I. 5. II. 1, 1—7. IV. 5, 6—7. 10. 11.

146) Ritter et Preller: Historia Philosophiae Graeco-Romanae ex fonti locis contexta. §. 206. p. 156. — Hermann: l. l. p. 247.

147) Grote: History of Greece. VIII. p. 627. adnot. 1.

148) p. 627.